EXAMEN
COMITIORVM RATISBONENSIVM,
SIVE
DISQVISITIO POLITICA
DE NVPERA ELECTIONE NOVISSIMI REGIS ROMANORVM:

IN QVA PERSPICVE OSTENDITVR, neque Conuentum Electoralem Ratiſbonæ ritè inſtitutum, neque deſignationem Regis Romanorum legitimè celebratam eſſe.

AVCTORE IVSTO ASTERIO IC.TO:

Rhamnus ad reliquas arbores in Parabola Iotham, *Iudic. IX. §. 15.*

Si verè elegiſtis me Regem, venite & ſub vmbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani.



HANOVIÆ apud Eleutherium Meinhardum.
M. DC. XXXVII.
CVM PRIVILEGIO VERITATIS.

Digitized by Google

EXAMEN COMITIORVM RATISBONENSIVM,

SIVE

DISQVISITIO POLITICA

DE NVPERA ELECTIONE NOVISSIMI REGIS ROMANORVM.

VETVS verbum eſt, vſuque & experientia quotidiana comprobatum, *Prodit in lucem non quæſita veritas* : & licet diuerſis fraudum ambagibus tegatur, ſuo tamen tempore paulatim diſcuſsis tenebris emergit. Communis quidem ab initio per Europam opinio fuerat, ſpecioſam illam Commiſſariorum Pragenſium pacem aliquid monſtri in ſinu alere, & quamuis extrinſecus ingentia bona polliceretur, in ſe-

creto tamen receſſu funeſti quid fouere & portendere. Verum cum conuentioni iſti apud Germanos neceſsitas quietis publicæ prætexeretur, Principeſque bello vicennali exhauſti miſeram pacem Marti ancipiti prætuliſſent, reſedit pauliſper ſuſpicio, & Tractatio iſta magis pro ſalute Reipublicæ, quam pro priuatis tractantium commodis ſuſcepta fuiſſe viſa eſt. Nunc nunc erupit tandem ſecreta pacificationis iſtius machinatio: apparuerunt artes ſubdolæ Tranſactionis, & priuata conſpiratio publicorum Comitiorum authoritate obuelata in apertum prodijt. Saxo ſuffragium, quod illic clàm vendiderat, hîc palàm prodigit. Cæſar ſecuritatis publicæ prætextu domeſtica commoda auget, & dum quietem ſpondet ciuibus, Germaniæ oppidò inquietæ Regem mauult dare, quam pacem. Rex Hungariæ denegatum ſtudet præripere Imperium potius, quam exſpectare oblatũ.

Ita

Ita dum ſub ſpecie reſtituendæ patriæ, reſtaurandæ tranquillitatis, & libertatis communis ſtabiliendæ electi Electores vota venditant, dum Cæſar ſuffragia ſubditorum direptionibus, ſpolijs & ſanguine mercatur, dum Rex Pannoniæ Imperium nedum vacans inuadit; miſerrima Germania vndiquaque fruſtrata, nec pacem habet, quam tam diuturnis bellis expetiit, nec Regem, qui legitimis armis patriæ ſalutem, ſubditis quietem reſtituere poſsit aut velit. Hac de cauſa lugent germani Teutones, ingemiſcunt vicini, obſtupeſcunt exteri: hoſtes ipſi vulgo crediti, tot Principes, Ciuitates, Ordines infamẽ ſeruitutem ambientes deteſtantur magis quam miſerentur. Nemini quidem Politicorum hactenus ignotũ fuit, ex antiquo Imperij iure Germanis Regem non naſci ſed eligi, Imperatoremque non ex ſanguinis propagine, ſed ſuffragiis Principum creari. Sacroſanctum hoc electionis jus

Digitized by Google

& poteſtatem Electores, tanquam fundamentum libertatis publicæ, tam ſollicitè obſeruauerunt, vt in omnibus Capitulationibus Cæſareis Imperatores ſpeciali ſacramento obſtringerent, & ſolemni forma in inauguratione iurare cogerent, ſe iſtam eligendi facultatem ipſis in perpetuum ſartam tectam conſeruaturos, nec de hæreditaria ſuorum in Imperio ſucceſſione quicquam tentaturos. Ita limitata Cæſarum authoritate, aucta Electorum & Principum poteſtate, Monarchia S. Romani Imperij rationibus Ariſtocraticis contemperata, diu & feliciter multa per ſecula floruit. Poſtquam verò in domum Auſtriacam delapſum eſt Imperium, Cæſares neſcio quo fato, neglecto bono publico res priuatas promouerunt, detrimento patriæ communis prouincias ſuas auxerunt, & vendita Italia, perdito Oriente, amiſſa Hungaria, Liuonia, Boruſsia, &c. familiam

Auſtriacam in enormem, qua hodie ſpectatur, magnitudinem ſupra reliquos Europæ Principes extulerunt: id vnicum omni tempore ſpectantes, vt Imperium, quod ſanum & florentiſsimum non poterant, afflictum atque in præſentes anguſtias redactum, ſibi ſuiſque redderent hæreditarium. Succeſſioni huic ſtabiliendæ variæ adhibitæ ſunt artes, varia molimina. Rudolphus I. qui 1273.
primus ex familia Habsburgenſi, ambitu Moguntini Regnum Germanorum adeptus eſt, cum profligato & occiſo Otthocaro Rege Bohemiæ, cuius quondam aulæ magiſter fuerat, prouincias eius hæreditarias Auſtriam, Styriam, Tirolem Alberto filio contuliſſet, mox conuocatis Francofurtum Electoribus petijt, vt eundem ſe viuo in Regem Romanorum eligere vellent. 1291.
Verum ab Ordinibus reſponſum aliud non tulit, quàm *Imperio perquam calamitoſum & graue futurum, ſi duos eodem*

tempore habere & nutrire Dominos cogeretur, vt refert Trithemius in Chronico Spanheimenſi. [a] Eius filius Albertus, cum occiſo Adolpho Naſſouio Cæſare Imperium inuaſiſſet, quod pater ab Electoribus non obtinuerat, à Pontifice Romano adepturum ſe ſperauit: ideoque initis cum Bonifacio VIII. P. M. pactis promiſit, ſi Papa ſibi & hæredibus ſuis Imperium & Regnum Galliarum vellet reddere hæreditarium, ſeſe cunctis Germaniæ viribus, Philippum Pulchrum Galliarum Regem Pontificis hoſtem oppugnaturum. [b] Et ita maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtens Carolus V. in Comitijs Auguſtanis anno 1550. habitis ab Electoribus petijt, vt excluſo fratre Ferdinando, filio ſuo Philippo ſucceſsionem in Imperio permitterent, quem ob potentiam præſidio fore Germaniæ ipſis confirmauerat. Et licet Electores Eccleſiaſtici ſpem ipſi de ſuffragijs

[a] Trithemius ad an. 1292. Buxtorffius ad Auream Bullā c. 12. Caluiſius ad an. 1291. 1298.

[b] Albertus Argentinēſis Chronici p. 169. Papa Bonifacius diu odio proſequens Albertū, & læſæ Majeſtatis crimine reum dicens (ob occiſum Dominū & Imperatorem ſuū) tandem eum in odiū Regis Franciæ approbauit. Hunc Albertum cum Papa contra Regem Frāciæ inſtigare vellet, ille ſe hoc non facturum reſpondit, niſi ſibi & hæredibus ſuis regnum & Imperium cōfirmaretur per ſedē: quod ſi ſibi fieret, aut ſe Francū expulſurū de regno, aut ſe pro hoc moriturum promiſit. De quo cum multum tractaretur per ſedem, tandem in contrarium reſedit conſilium, &c.

gijs feciſſent, quod tam potente Patrono Catholici contra tumultuantes hæreticos indigerent: reliqui tamen Electores in Hiſpanum inclinare noluerunt, tùm *quod continua iſta filiorum ſucceſſio in Imperio ſaperet jus hæreditarium: tum quod Imperium Germanicum ſemel ab Hiſpanis occupatum, ipſis poſtea nunquam poſſet extorqueri*, ait Paulus VVindek.[c] Sic profectò techna vel occaſio nulla vnquam prætermiſſa fuit ab Auſtriacis, quin Imperium, excluſis reliquis Germaniæ Principibus, familiæ ſuæ manciparent; præcipuum tamen artificium, quo hactenus per ducentos & amplius annos illud hæreditariè poſſederunt, fuit ſimulata electio Regis Romanorum, qua contra mores & inſtituta maiorum nomine tenus Cæſari collegam, reipſa patri ſucceſſorem ſerie continua deſignauerunt. Namque (vt à prima origine rei ſeriem percurramus) antiquitus Princeps Imperij Germanici Rex Romanorum di-

[c] Sleidanus lib. XXII. & XXIII. pag. 576. &c. Chytræus Saxoniæ lib. XVII. pag. 437. Ioh. Paulus VVindek de Origine Electorum c. XIX. p. 54.

cebatur, cum Francofurti ab Electoribus electus, & Aquiſgrani coronatus eſſet: Imperator verò cenſebatur, poſtquam Imperialem Romæ coronam à Papa ſuſcepiſſet [d]: atque ita Imperium non morte deceſſoris, ſed conſecratione Pontificis deferebatur. Et hoc ſenſu Ludouicus IV. Imp. Bauarus in Edicto anni 1328. [e] fatetur, ſe *Romæ*, quam *caput orbis*, *ſacroſancti Imperij domicilium*, & *Romani Imperatoris ſedem* appellat, *more maiorum*, *ex veteri inſtituto conſecrati Imperatoris prænomen*, *Cæſaris Auguſti cognomen rite ſuſcepiſſe*; & reliqui Germaniæ Imperatores annos regni ſui ſemper diuiſerunt ab annis Imperij. Auſtriaci tamen, poſtquam exemplo Maximiliani I. & Ferdinandi I. [f] obedientiam hanc & fidem ſedi Apoſtolicæ denegarunt, Regem Romanorum & Imperatorem Auguſtum non ratione inaugurationis diuerſæ, ſed reſpectu deceſsionis & ſucceſsionis hæreditariæ diſtinxerunt, ita

d c. Venerabilem. de Electione. & ibi Doctores. Baronius Annal. an. 871. §. 4. Petrus de Andlo lib. 2. de Imperio Rom. c. 5. Ioh. Paulus Vindek de Origine Electorum c. 1x. p. 33.

e Extat apud Goldaſtum Tom. 1. Cõſtit. Imp. p. 328.

f Thuanus hiſtor. lib. xxi. Caluiſius ad an. 1558. Ioh. Paulus VVindek de Origine Electorum c. 10. & 21.

ita vt Auguſtus diceretur is, qui iam obtineret, Rex Romanorum verò is, qui illo defuncto obtenturus eſſet Imperium. Hac tandem ratione effectum eſt, vt cum ambitu patris Imperatoris filius vel proximus agnatus ordine non interrupto Rex Romanorum declaratur, eique defuncto ſtatim ipſo iure ſuccedit, nomen, imago & titulus electionis penes Electores, jus verò & conſuetudo perpetuæ ſucceſsionis apud Auſtriacos permanſerit. His ſanè artibus Fridericus III. qui anno 1440. precibus agnati & deceſſoris ſui Alberti regnum Germaniæ adeptus eſt, filium Maximilianum I. 1486. hic Carolum V. ex filio nepotem 1518. ipſe Carolus Ferdinandum I. fratrem 1531. & mox mutato conſilio Philippum II. filium 1550. Ferdinandus I. Maximilianum II. filium 1562. hic rurſus Rudolphum II. primogenitum 1578. Rudolphus Matthiam fratrem 1611. & iſte Ferdinandum II. patruelem ſuum

1619. ad Imperij conſortium & ſucceſſionem uel promouerunt, vel promouere tentauerunt; familiæ ſuæ perpetuitatem potius, quam Reipublicæ incolumitatem & Majeſtatem ſpectantes. Id quod vel ex eo liquet, quòd cum prius Reges Romanorum poteſtatem & iuriſdictionem haberent ordinariam, & ex lege Imperij & autoritate propria, eadem omnia poſſent, quæ Imperatores: tamen poſtquam Cæſares Auſtriaci ſceptrum Germaniæ hæreditate ſibi adſcripſerunt, Regibus Romanorum nomen inane ſine re, & potentiam non niſi delegatam reliquerunt, tutius rati filiis ſucceſſoribus tradere Imperium, quam tolerare imperitantes. Ita enim conſtat Carolum V. in tranſactione Suinfurten-
1532. ſi 1532. [g] cum Electoribus conueniſſe, *ut ſi quando Rex Romanorum crearetur viuo Imperatore, non ſuo ſed illius tantum nomine Rempublicam adminiſtraret, nec vllam ſibi poteſtatem aut Imperium arrogaret, neque*

[g] Sleidanus Comment. lib. VIII. Reinhardus König in Synopſi Iuris publici c. VIII. p. 32.

que Principes & Ordines Imperij vlla fide vel iureiurando aſtringeret, niſi poſt mortem Cæſaris. Et Rudolphus II. ſuperſtite parente Maximiliano II. Rex Romanorum deſignatus 1575. in Capitulatione Cæſarea diſertis verbis Electoribus promiſit, *ſe viuo Imperatore nullam prorſus directionem, vel adminiſtrationem Imperij ſuſcepturum, niſi in quantum illud ſibi ab Imperatore concederetur, neque vlla ratione vel obtentu Cæſareæ Majeſtatis dignitatem & ſupereminentiam diminiturum.* Vnde luce meridiana clarius patet, Auſtriacos per tot continuas Regum Romanorum electiones, non tam vtilitatem publicam, quàm hæreditatem domeſticam in Regno Germaniæ affectaſſe, & etiamnum affectare. Verum quacunque tandem ratione ſucceſsio iſta familiæ Auſtriacæ in Imperio ſtabilita fuerit, illud in propatulo eſt, priores Imperatores, blanditijs magis & prenſationibus, quam vi & iniurijs apertis electionis huius ſuc-

Carpzouius de Capitulatione Cæſarea c. 11. p. 115.

1575.

ceſſiuæ decreta pro filijs vel agnatis ſuis extorſiſſe: nec vllum eorum, præter Fridericum III. in deſignatione filij Maximiliani I. 1486. & Carolum V. in intruſione Ferdinandi I. fratris 1531. publicè jus collegij Septemuiralis violaſſe, Electoreſque cupitis ſuis non fauentes violenter à ſuffragijs excluſiſſe: quippe liberis in gente libera regnaturis amorem inter populares, quam metum apud ſubditos, tutius eſſe patrimonium crediderunt. Iſtud verò exempli eſt hactenus inauditi, quod Ferdinandus II. poſtquam per integros annos XVIII. & amplius cuncta in Germania ferro flammaque miſcuit, iura cuncta ſuſque deque habita ſubuertit, Electorum alios iniuſta proſcriptione, alios crudeli captiuitate ſecluſit, reliquos viribus cunctis exutos occulta Tranſactione decepit, & partim muneribus Ibericis, partim donis & ſpolijs proſcriptorum corrupit, eo ipſo tempore, quo Germania bellis ciuilibus pe-
nè

nè exhauſta ſolam pacem anhelat, contra leges, decreta & inſtituta maiorum, contra omnes & ſingulos Bullæ aureæ articulos, Ferdinandum filium Germanis Regem, ſibi hæredem, Auſtriacis columen deſignauit & obtruſit. Quaſi verò ſatis non fuiſſet ſæuum Imperatorem tamdiu patriam furijs inteſtinis diuexaſſe, multas ſubditorum myriades bellis non neceſſarijs extinxiſſe, Germaniam denique in eam conditionem & calamitatem deduxiſſe, vnde decurſu integri ſeculi reſpirare non valeat: niſi etiam iamjam Imperio valedicturus, filium & ſucceſſorem ſibi ſimilem, Germanis libertate, opibus & fortuna deſtitutis, haud meliore ſpe, omine & nomine relinqueret. Enimuerò regnent qui poterunt, ſeruiant qui volent; nobis priuatis nec illorum ambitio, nec horum ſocordia officiet: quin potius vt inuaſores oppreſſæ olim libertatis, ſic ignauos projectæ ad parendum patientiæ ſerò nimis

pœnitebit. Verùm tamen quia non modo Germania contra omne jus & æquum diuendita Auſtriacis mancipatur, eiuſq; Status & ordines iuribus, honoribus & immunitatibus cunctis ſpoliantur, Principes innocentes nocentium facilitate circumſcribuntur, & paucorum libidine leges, conſtitutiones & conſuetudines auitæ funditus euertuntur: ſed etiam Reges, Principes & Status exteri, tam in proprio Majeſtatis iure, quàm in proſcriptionibus, iniurijs & abdicationibus ſociorum, confœderatorum & clientum grauiſsimè offenduntur: paucis ſub examen reuocanda eſt Comitiorum Ratiſbonenſium ſeries, perueſtiganda electionis præcipitatæ ſolemnitas, videndumque quam benè actio tam celebris, quàm ſub authoritate legum & Imperij celebratam publicant, cum legibus, inſtitutis & conſtitutionibus Imperij fundamentalibus conueniat. Ita nec ſilentium in approbationem geſtorum, nec

vſurpatio

vſurpatio in titulum iuris, nec exemplum violatæ æquitatis in inſontium perniciem vnquam trahi vel allegari poterit. Principio igitur, ſi ad normam iuſtitiæ, legum & conſuetudinum Germaniæ ſingula reuocemus, in ipſo ſtatim limine vniuerſo orbi patebit, eas omnes multifariam violatas, & neque Conuentum Ratiſbonenſem legitimè indictum aut rite celebratum, neque electionem Regis Romanorum modo & iure debito inceptam, tractatam vel peractam fuiſſe. Namque vt ab ipſa Comitiorum indictione ordiamur, vniuerſis ſine dubio cõſtat, ſolum Electorem Moguntinum non exploratis omnium Collegarum ſententijs, de mandato Cæſaris adhuc viuentis, certos aliquot Electores Ratisbonam conuocaſſe eum ad finem, vt electio Regis Romanorum, de qua iam ſecreta conuentione cum Imperatore tranſegerant, in perſona Ferdinandi Regis Hungariæ perficeretur. In hac autem citatio-

ne plures ſimul occurrunt nullitates: nam neque Moguntinus viuente Imperatore jus habet citandi Electores, multò minus aliquot ex illis prætereundi, neque Imperator ſe viuo ſucceſſorem ſibi deſtinare poteſt. Nimirùm Moguntinus nullam habet poteſtatem Septemuiros ad Comitia vocandi, niſi ex iure & facultate ſibi per Auream Bullam conceſſa: ſiquidem ante conſtitutionem legis Carolinæ 1356. etiam alij Electores, & poſt eius publicationem Palatinus quandoque Conuentus Electorales indixerunt. [h] Iam verò textus Bullæ Aureæ in vno tantum caſu Moguntino citationem Electorum permittit, puta mortuo Imperatore, vt diſertè docet Tit. 2. §. *cum autem* his verbis: *cum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in Diœceſi Moguntina conſtiterit, ex tunc infra vnum menſem à die notitiæ obitus huiuſmodi ſingulis Principibus Electoribus, obitum ipſum & intimationem per*

[h] Vt Rupertus l. 1400. Cuſpinianus in Ruperto p. 391. Buxtorffius ad Auream Bullam c. 18

per Archiepiſcopum Moguntinum, iubemus & decernimus ſuis patentibus literis declarari; ſeu vacante Imperio,vt explicat Textus Tit. 4. §. *Cæterum. Cæterum quotiens & quando deinceps ſacrum vacare continget Imperium, extunc Moguntinus Archiepiſcopus poteſtatem habebit cæteros Principes ante dictos, ſuos in dicta electione conſortes, literatoriè conuocandi:* vbi adiectæ particulæ, *cum*, *quoties*, *quando*, certam conditionem denotant: permiſſum autem ſub certa conditione, non habet locum ante exiſtentiam conditionis *l. 1. ff. de donationibus*; & potiſsimum vrget vox ſubiunctiua *ex tunc*, quæ apertè monſtrat, mortem Imperatoris & vacationem Imperij præcedere, indictionem verò Comitiorum & citationem Electorum ſubſequi debere. Et hac de cauſa Fridericus Elector Saxoniæ anno 1518. 1518.
Maximiliano I. Cæſari publicè contradixit, Carolum V. nepotem ſuum in Regem Romanorum eligendum Sep-

temuiris obtrudenti : eundemque mox defunčto Maximiliano in Comitiis
1519. Francofurtenſibus 1519. ſolus ſuffragio ſuo Imperatorem conſtituit.[i] Et cum Iohannes Saxoniæ Elector hac ipſa de cauſa electionem Ferdinandi I. 1531. vtpotè viuente Imperatore factam oppugnaſſet, Cæſar & Electores tandem ex Tranſactione Cadamenſi 1534. in hoc decretum conuenerunt, *vt cum tempus*
1531.
1534. *olim incidet creandi Regis Romanorum, tunc Principes Electores ante conueniant & deliberent, num iuſta ſint & idoneæ cauſa futuræ electionis: & ſi tales occurrant, tum demum ex formula legis Carolinæ ad electionem pergant, ita vt quod ſecus factum fuerit, ipſo iure nullum & irritum ſit.*[k] Atque ita ſemper in eiuſmodi caſibus obſeruatum fuit: & antequam penultima Matthiæ I. deſignatio in Regem Romanorum
1611. ſuſciperetur, Electores prius 1611. Norimbergæ conuenerunt, ibique negotio per aliquot menſes deliberato, cum

i Author Tractatus de electione Regis Romanorú viuente Imperatore, apud Goldaſtum in Polit. Imp. P.II.p.224. Ioh. Limnæus de iure publico lib.II. c.xv. p.169.

k Sleidanus Comment. lib.IX.p.205

cum ob ingraueſcentem Rudolphi II. Cæſaris valetudinem, electionem Regis Romanorum ex commodo Reipublicæ fore iudicaſſent, ei celebrandæ diem XXI. Maij ſequentis anni 1612. Francofurti conſtituerunt.[l] Et ipſe Imperator Ferdinandus II. in capitulatione ſua Cæſarea an. 1619. art. 34.[m] Ordinibus Imperij præſtita ſanctè promiſit, *ſe electionem Regis Romanorum Septemuiris liberam permiſſurum, quotieſcunque illam neceſſariam & ex vſu Reipublicæ fore iudicauerint.* Vnde diſertè colligitur, conuocationem Collegij Electoralis viuente Cæſare non ex priuato Moguntini arbitrio, ſed ex communi Septemuirorum conſenſu & iudicio pendere: adeoque cum Moguntinus ex terminis Aureæ Bullæ non habeat poteſtatem citandi Electores, niſi mortuo Imperatore & vacante Imperio, neque citationem iſtam Electorum viuente Imperatore legitimè factam, neque ex ea electionem Regis

[l] Gotthardus Artus in electione Matthiæ I. in Politicis Goldaſti P.I.p.170.

1619.

[m] Extat apud Iulium Bellum in Hiſtoria belli Germanici lib. III.p.105.

Romanorum ritè inſtitutam fuiſſe. Accedit alia ratio priori non inferior, quod ex tenore Aureæ Bullæ *Archiepiſcopus Moguntinus omnibus & ſingulis Principibus Coëlectoribus ſuis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, nemine excepto, excluſo vel prӕterito, electionem ipſam intimare & ſignificare debet.* Tit. 2. §. *Prӕterea*, & §. *cum autem*: quia nimirum cum magna ſit Electorum paucitas, & ob vitandas diſſenſiones Collegium auguſtiſsimum ad ſeptem perſonas ſit reſtrictum, oppidò iniquum eſt & iniurioſum, ad tam arduum negotium, quale eſt caput præficere toti mundo, pauciores adhuc quam legibus ſancitum eſt, electionis arbitros conuocari. Ideoque citatio omnium & ſingulorum Electorum in Bulla Aurea ſtatuta eſt pro forma ſubſtantiali legitimæ electionis, qua violata totum negotium nullum & inualidum eſſe liquet. Et aliàs quoque certum & indubitatum eſt apud Doctores, [n] quod ſi vel vnus Electorum

[n] c. Venerabilem. & ibidem Panorm. & Ant. de Butrio. Petrus de Andlo lib. 2.c.3.p.85. Buxtorffius ad Auream Bullã c. 18.

ctorum contemptus aut præteritus fuerit, tota electio ab alijs facta per illum abſentem retractari & annullari poſsit, vt patet ex c. *venerabilem.* & c. *bonæ memoriæ. de electione.* quo *caſſatur electio partis maioris facta contemptâ minore parte, etiamſi fuerit vnus ſolus*; *quia* (vt addit textus) *plus in talibus obeſt contemptus vnius abſentis, quam multorum contradictio in præſenti.* Et idcircò omnes eiuſmodi electiones per ſubreptionem ſeu excluſionem Collegarum factæ, ab Electoribus excluſis ſolemniter impugnatæ fuerunt. Ita An. Chr. 1139. Saxones & Hein- 1139.
ricus Bauariæ Dux inaugurationem Conradi III. apud Confluentias celebratam, vt illegitimam & ſurreptitiam improbauerunt, *propterea quod ad eam non vocati ſed excluſi eſſent*: ° & A. C. 1198. Innocentius III. P. M. c. *venerabilem. de electione*, deſignationem Philippi Ducis Sueuiæ in Regem Romanorum, vt perperam & iniuſtè factam annullauit, ex eo *quod ſau-*

° Ottho Friſingēſis lib. VII. Chron. c. 22. Gothofredus Viterbienſis Chr. lib. XVII. pag. 593. Carolus Sigonius l. II. de regno Italiæ An. 1158.

tores eius abſentibus alijs & contemptis, ipſum eligere attentaſſent; regulam hanc ſubijciens, *quod electioni plus contemptus vnius, quam contradictio multorum obſtet.* Nimirum in Moguntini arbitrio non eſt, eos tantum Electores ad Comitia vocare, quos Regi Romanorum eligendo ſua vota iam vendidiſſe vel promiſiſſe nouerit; eos verò excludere & reijcere, quos deſiderijs & prenſationibus Auſtriacorum contrarios metuerit: aliàs enim nunquam vera electio, ſed mera nundinatio in deſignatione Cæſaris celebraretur. Quod cum Comitijs proximè habitis factum fuerit, ad quæ Moguntinus quinque tantum Electores duobus excluſis conuocauit, manifeſtè colligitur, tam citationem Moguntini, quàm ex ea ſecutam electionem Ferdinandi nullius eſſe valoris vel momenti: imò ipſum Moguntinum incidiſſe in pœnam legis Carolinæ c. 2. §. *ſi quis autem*; qua eos, qui ſtatutis ſuis in aliquo articulo contraire præſumpſerint,

pſerint, iure & dignitate Electoris, voce & ſuffragio electionis, & denique dominio feudi Electorij, quod prius à Sacro Rom. Imperio obtinebant, omnimodis priuat. Et ineptum ſeu potius ridiculum eſt, quod ad excuſandam tantam proteruiam & publicum legum contemptum, Moguntinus ſe citationem hanc inſtituiſſe dicit ex mandato Cæſaris: quaſi verò Imperator Conſtitutiones Imperij fundamentales funditùs ſubuertere, aut conuentum vllum Electoralem pro deſignatione Regis Romanorum indicere poſſet. Conuocatio Collegij Electoralis ad dandum Cæſari Imperij conſortem, ad ſolum Moguntinum ſpectat, vt Collegij ipſius caput & Decanum p: non verò ad Imperatorem, qui in conuentibus Electorum particularibus ex ſe nihil habet iuris vel Imperij. q Neque verò ſi qui defectus, aut nullitates in citatione Moguntini occurrerint, eas ſtatim Imperator ex plenitudine poteſtatis tol-

p Ceremoniale Eccleſiæ Romanæ lib. 1. ſ. 13. c. 3. Petrus de Andlo lib. 2. c. 2. Buxtorffius ad Auream Bullam c. 15, 2.

q Aurea Bulla tit. 12. & ibi Doctores. Sleidanus lib. 1. Comment. p. 12. Reinhardus König in Synopſi iuris publici c. IV. p. 58.

lere vel ſupplere; multò minus in caſu, quo jus citandi Electores Moguntino non competit, per poſtulationem ſuam illi citationem Collegarum imperare poteſt. Namque conſtans eſt apud Canoniſtas [r] ſententia, *quod Imperator nulla ratione ſibi ſucceſſorem inſtituere poſſit, & quod in caſu electionis Regis Romanorum nihil operetur voluntas ſeu conſenſus Cæſaris, quia non poteſt tranſigere de Imperio vt de re ſua, cum illud non ſucceſſione filiorum, ſed electione Principum deferatur.* Adde, quod etiamſi Imperator ex plenitudine poteſtatis conuentus Electorales indicere, in iiſque deſignationem Regis Romanorum promouere poſſet, tamen credibile aut veriſimile non eſt, ipſum ante tempus debitum Quinqueuiros ad electionem filij ſui citare voluiſſe vel iuſsiſſe, cum in Capitulatione ſua Cæſarea, ſeu iuramento ſolemni Ordinibus Imperij præſtito contrarium planè Electoribus promiſerit, art. 34. [ſ] cuius hæc ſunt verba: *In primis*

[r] c. Venerabilem. & ibi Gl. in verbo illicitum. Author Tractatus de electione R. R. viuente Imperatore p. 225.

[ſ] Iulius Bellus Comment. de bello German. lib. III. p. 205. Reinhardus König de iure publico c. 2. p. 21.

mis Cæſarea Majeſtas nullam in Romano Imperio ſucceſſionem aut hæreditatem ſibi ſuiſve hæredibus & poſteris arrogabit, nec illud in alium quemcunque transferre conabitur: ſed ſua Majeſtas, vt & ipſius filij hæredes & ſucceſſores Electoribus, eorumque hæredibus & ſucceſſoribus, omni tempore liberam eligendi Regis Romani poteſtatem relinquent: niſi fortè locum hîc habeat diuerbium illud Regis Spartanorum, *magnos Principes ludere cum iuramentis, ſicut pueros cum talis:* quod ſanè nimis verum magno noſtri ſeculi opprobrio & damno experti ſumus. Atque ita ſatis ſuperque demonſtratum arbitror, citationem iſtam Electorum, nondum vacante Imperio, ſed viuente & mandante Imperatore, Treuirenſique & Palatino præteritis, à Moguntino factam, nullius prorſus eſſe iuris, ponderis & valoris: ſequitur vt paucis oſtendamus, etiam electionem ipſam, Ferdinandi Regis Hungariæ, ambiente & iubente Cæſare, corruptis Moguntino,

Colonienſi, Saxone & Brandenburgenſi, intruſo Bauaro, excluſis Palatino & Treuirenſi inſtitutam, ipſo iure nullam, inualidam & contra leges Imperij fundamentales peractam eſſe. Principio igitur apud omnes extra dubium eſt, deſignationem Regis Romanorum debere eſſe liberrimam, omniſque ambitus, metus, coactionis & doli expertem: Iccircò libertas ferendi ſuffragij, veluti forma eſſentialis electionis ſtatuitur, & Cæſares in omnibus ſuis Capitulationibus Electoribus votandi libertatem ſe conſeruaturos promittunt: ipſique Electores liberam eligendi Cæſaris facultatem vtpotè conſtitutionem Imperij fundamentalem, tollere vel alterare non poſſunt.[t] Iam verò omnis libertas opinandi opinionum pluralitatem ſupponit, per quam eligens hunc reiecto illo deſignare, atque ita inter duo vel plura contraria vota plena arbitrij ſui poteſtate frui poſſit: id quod eleganter oſtendit Seneca[u] verbis

[t] Nicolaus Cuſanus de Concord. Catholica lib. III. c. 4. Carpzouius de Capitul. Cæſarea c. I. §. 27. p. 37.

[u] Seneca de beneficiis lib. II. cap. XVIII. editionis Pariſienſis 1627. pag. 24.

verbis paululum immutatis: *Cum eligendum dico cui pareas, vim maiorem*[u] *& metum excipio: quibus adhibitis electio perit. Si liberum eſt tibi, ſi arbitrij tui eſt, poteris velle & nolle: ſi neceſſitas tollit arbitrium, ſcias te non eligere; ſed parere. Nemo in eo eligendo gloriatur, quem illi repudiare non licet. Si vis ſcire, an velim, effice vt poſſim nolle.* Et ideò c. 14. *cum terra. de electione* expreſsè ſancit, *vt electio ſit in libertate eligentium, non verò in poteſtate eligendorum*, ſeu eorum qui electionem procurant. Vnde iam liquidò infertur, cum Electoribus dudum electis Rex Romanorum eligendus à Cæſare præſente obtruditur, eorumque ſuffragia nunc mandatis & imperio, nunc minis & vituperio extorquentur, electionem ipſam nequaquam eſſe liberam & ſpontaneam, ſed violentam, extortam & coactam: quippe cum reſpectu poteſtatis abſolutæ & metu indignationis Cæſareæ nemo Electorum Imperatoris voluntati contradicere, aut ad eius præſen-

u *Vim maiorem* Lipſius interpretatur vim regiam & Imperatoriam.

tiam & præcepta obſtrepere audeat. Id quod iam dudum ante nos ex Onuphrio Panuinio[x] obſeruauit Benedictus Carpzouius I.V.D. & Scabinatus Lipſienſis Adſeſſor, in Tractatu de Capitulatione Cæſarea cap. XI. pag. 213. cum ait §. 3. *Eſt electio Cæſaris duplex, aut omninò libera, aut aliquo modo coacta*; Omninò libera *eſt, cum Imperatores ſine legitimo hærede morientes, nullum Imperij ſucceſſorem ante obitum deſignarunt: vti fuerunt Comitia Heinrici I. Saxonis & Conradi I. Franci, Lotharij II. Saxonis, Conradi* II. *Sueui & aliorum, qui omnes abſque prædeceſſorum ſuorum voluntate Imperatores liberè ab Electoribus renunciati ſunt.* Quaſi *verò* coacta *electio eſt, cum Imperator ſe viuo more veterum Principum Imperij ſucceſſorem deſignare facit, & conuocatis Electoribus quempiam eligere ſe præſente procurat in Romanorum Regem; quæ ſuffragia non adeò ſunt libera, cum præſumantur fieri in gratiam Imperatoris. Atque hac ratione tres Otthones priores,*

quatuor

[x] Onuphri' Panuinius de Comitiis Imperatoriis cap. 5. §. 22. Tobias Paurmeiſter lib. 2. de iuriſdict. c. 2. n. 40.

quatuor Henrici, Fridericus II. VVenceſlaus, Maximilianus & nouiſſimè Ferdinandus Cæſares creati ſunt. Vt autem electio Regis Romanorum debet eſſe liberrima, ita etiam neceſſariò requiritur, vt ſit concors & vnanimis ac communi omnium & ſingulorum Electorum conſenſu peragatur. Namque ex ſecretis Imperij conſtitutionibus inter electionem Imperatoris & Regis Romanorum hoc intereſt, quod Imperator tam ab omnibus & vniuerſis, quàm à maiori Septemuirorum parte eligi poſsit, prout ſancit Aurea Bulla c. 3. §. *præſtito.* & §. *poſtquam autem.* Rex verò Romanorum nonniſi in concordia, & conſpirantibus omnium Electorum votis renunciari debeat. Cuius differentiæ hæc eſt ratio, quod vacante Imperio abſolutè neceſſarium eſt quacunque ratione Germanis principem, orbi Chriſtiano caput cõſtituere: & ideò Bulla Carolina T. 4. §. *decernimus*, iubet, *vt quotieſcunque & quandocunque futuris tem-*

II. Quia nõ eſt vnanimis, ſed cõteſtata.

poribus neceſſitas vel caſus electionis Regis Romanorum in Cæſarem promouendi (qui hodie idem eſt cum Imperatore) *emerſerit, Principes Electores ad eiuſmodi electionem quam citiſſimè proficiſcantur.* Nondum verò vacante Imperio, ſed ſpirante & regnante adhuc Imperatore, non tam neceſſarium quàm vtile & commodum videtur, Imperio caput ſubalternum addere, quod ſummo illo inclinato Reipublicæ conſulere & prouidere poſsit. Et ſic communiter obſeruatur in iure Canonico,[y] quod *in admiſſione Coadiutoris Canonicos omnes concordes & vnamines eſſe oportet, ita vt nemo diſſideat, nemo diſcrepet, ſed omnes & ſinguli in vnum & eundem voluntariè conſentiant: quia tam receptio quàm poſtulatio Coadiutoris eſt actus gratiæ & fauoris: in actibus autem fauorabilibus & gratioſis non ſufficit factum à maiore parte Capituli, ſed omnes ad vnum nemine diſcrepante conſentire oportet.* Quod longè verius eſt de electione Regis Romanorum

[y] Panorm. & Canoniſtæ ſuper c. Bonæ. de poſt. prælat. Coraſius de Sacerdotiis p. IV. c. 2. §. 5. & 6. Oldradus Conſil. 44.

viuente

viuente Imperatore, quæ cum in Aurea Bulla non præcepta ſed prohibita ſit, profectò Septemuiri electo Cæſaris collegæ beneficium maximum præſtant, cum de vigore legum patriarum diſpenſantes, ſucceſſorem in eo Imperio admittunt, quod ſucceſsionem nullam agnoſcit. Et hæc ſententia à fundatione Imperij Romano-Germanici ſemper fuit vt indubitatæ veritatis, ſic inuiolatæ obſeruationis. Namque vt ex cunctis Hiſtoriarum monumentis conſtat, Cæſares omnes, qui ſuperſtites adhuc filios ſuos conſortes Imperij, ſibique ſucceſſores renunciare voluerunt, id non aliter quam communi omnium Electorum & Ordinum conſenſu impetrauerunt. Ita Anno Ch. 1024. Heinricus II. Imperator liberis carens, vnanimi Principum aſſenſu ſucceſſorem conſtituit Conradum II. Franconiæ Ducem, qui etiam ab omnibus regni Ordinibus Cæſar electus fuit:[z] & Anno 1152. Conradus III. morbo detentus, præ-

1024.

1152.

z Gothofredus Viterbienſis p. XVII. p. 562.

terito filio ſuo Friderico, Fridericum I. ex fratre nepotem Cæſarem deſignauit, & vnanimi Principum voto eligi cura-

a Caluiſius ad A. 1154. uit.[a] Nec alia ratione Carolus IV. VVenceſlaum filium 1378. Ferdinandus I. Maximilianum II. 1562. & Maximilianus II. Rudolphum II. primogenitum 1575. ad Imperij conſortium euexerunt, quam conſentientibus omnium Electorum & Ordinum ſuffragijs. Et hac ipſa

1518. de cauſa Maximilianus I. 1518. Carolum V. ex Philippo I. filio nepotem Regem Romanorum efficere non potuit, quod vnius Friderici Saxoniæ Electoris ſen-

b Tractatus de electione R.R. viuente Imp. p.226. tentia impediretur;[b] & ipſe Carolus V. cum 1550. excluſo fratre Ferdinando I.

1550. regnum Romanorum ad Philippum II. filium transferre conaretur, per diſſenſum & recuſationem Electorum ſecularium voto excidit. Namque *iccirco* (ait

c Chytræus Saxoniæ lib. XVII. p. 437. Sleidanus lib. XXII. p. 576. & 584. Chytræus[c]) *ad Comitia Auguſtæ à Carolo inchoata, Mauritius Dux Saxoniæ Elector, quantumuis crebrò ab Imperatore vocatus*

non

non acceſſit: propterea quod Cæſarem ab Electoribus, vt filium Philippum Hiſpaniæ Regem ſibi in Imperio ſucceſſorem deligerent, petiturum eſſe intellexerat. Quod ſi aliquādo contra communem Imperij conſuetudinem Principes aliqui viuente adhuc Imperatore, per vim aut ambitum, & non conſentientibus omnium Electorum votis Reges Romanorum deſignati fuerunt, omnes tales electiones iure ipſo nullæ & irritæ habitæ ſunt, Electoreſque excluſi & præteriti Reges hoſce intruſos non agnouerunt, ſed publicis Proteſtationum monumentis reiectos, vel ad dignitatis reſignationem, vel ad obtinendam à ſe ratificationem coëgerunt. Sic Anno Ch. 1298. cum Albertus I. Au- 1298.
ſtriacus depoſito Adolpho Naſſouio, à quinque tantum Electoribus Rex Romanorum deſignatus, ipſum Adolphum in prœlio propè VVormatiam vita & regno exuiſſet: *& electionem de ſe factam minus legitimam æſtimaret, propter Treui-*

renſem Præſulem & Palatinum Comitem, (qui Comitijs non interfuerunt) jus electionis in manus Electorum reſignauit, ne de violenta regni vſurpatione notaretur. Et ſic altera vice communi voto Cæſar declaratus, Aquiſgrani coronam Regni accepit.[d] Similiter cum A. C. 1486. ob ſimultates priuatas inter Bohemos & Auſtriacos, Ladiſlaus Rex Bohemiæ ad deſignationem Maximiliani I. Regis Romanorum cum cæteris Electoribus accerſitus non fuiſſet, publicè ſcriptis & factis electioni eius ſeſe oppoſuit, & pœnam in lege Carolina ſancitam ab Electoribus poſtulauit, minitando ſe ad arma conuolaturum, niſi decreto & recognitione ſolemni ſibi ſatisfieret. Atque ita Tranſactione publica Francofurti inita 1489. à Septemuiris obtinuit, ne Reges Bohemiæ inpoſterum ab vlla electione Imperatoris vel Regis Romanorum excluderentur, ſub pœna quingentarum marcarum auri puri à ſingulis Electoribus ſoluenda; &

[d] Verba ſũt Continuatoris Conradi Vrſpergenſis p. 24. & 27. & Iac. VVimphelingi in Epitome rerum German. c. 42. p. 352. Vide & Trithemium in Chronico Spanheimenſi, in Alberto.

1486.

1489.

& hac ratione tandem ſubreptitiam Maximiliani I. electionem ratam habuit.[e] Sic etiam ſuperiore ætate cum A.C.1531. Carolus V. Imperator corruptis ſex Electoribus, Ferdinandum fratrem Bohemiæ & Hungariæ Regem, ſe viuo etiam Regem Romanorum declaraſſet, Iohannes Conſtans Dux & Elector Saxoniæ, datis Smalcaldia ad Imperatorem & Septemuiros literis palàm conqueſtus eſt, electionem iſtam ſuſceptam eſſe contra legem Carolinam, contra jus & libertatem Imperij, contraque pactum, ſponſionem & capitulationem Cæſaream; moxque miſſo ad Comitia Colonienſia filio, contra illam vt ex ſe nullam, vitioſam & illegitimam proteſtatus eſt.[f] Cui proteſtationi adhærentes etiam reliqui Principes, Philippus Landgrauius Haſſiæ, Vlricus VVürtembergenſis, Erneſtus Lüneburgicus, VVolfgangus Anhaltinus, Albertus & Gebhardus Mansfeldici, editis ſcriptis violentam

[e] Hartmannus Maurus in electione Caroli V. p. 274. Ioh. Paulus VVindek de orig. Electorum c. xv. p. 46. Goldaſtus Bohemicorum lib. III. p. 306. Vide inferiùs ipſa Acta NVMERO I. & II.

1531.

[f] Sleanus lib. VII. p. 173. Chytræus Saxoniæ lib. XIII. p. 332. Thuanus lib. II. hiſt. Vide infra Acta N. III.

Ferdinandi I. deſignationem oppugnauerunt, & inito cum Saxone fœdere Smalcaldico, armis Germaniæ leges & conſuetudines ſeſe defenſuros promiſerunt. [g] Quinetiam Guilhelmus & Ludouicus fratres Bauariæ Duces, poſtquam ſpeciale pactum cum eodem Electore, Landgrauio, cæteriſque Principibus pro tuitione iuris & libertatis communis contra intruſionis iſtius autores
1532. & fautores ſanciјſſent, miſsis cum plena poteſtate Oratoribus & Procuratoribus ſuis, Franciſci I. Galliarum Regis fidem & ſuppetias contra Auſtriacorum vſurpationes implorauerunt. [h] Nec prius violentam hanc Ferdinandi I. deſignationem, Saxo & confœderati Principes admiſerunt, quam ipſis Cadami in Bohemia 1534. liberum Religionis ſuæ exerci-
1534. tium relictum, & ſub cautione Ferdinandi Regis promiſſum fuit, quod futuro tempore nemo, niſi præuia omnium Electorum deliberatione & conſenſu, Rex Romanorum

[g] Vide Acta ipſa in Hiſtoria & monumentis belli Smalcaldici, Germanicè editis à Friderico Hortledero Tomo I. lib. IV. c. 9. n. 176.

[h] Memoires du Bellay liu. I. A. 1532. fol. 90. & 92. Thuanus lib. 2. Hiſt. Authenticum Commiſſionis extat infra n. IV.

Romanorum creari poſsit.[i] De qua con- [i] Sleidanus lib. IX. p. 205. Goldaſtus Tomo I. Conſtit. Imperial. p. 299.
ditione cum ſponſor longè diuque tergi-
uerſatus eſſet, Saxo & confœderati eum
pro Rege Romanorum agnoſcere no-
luerunt, donec tandem in Comitijs Spi-
renſibus 1544. res tota tranſacta fuit, & 1544.
Iohan. Fridericus Saxo jus ſucceſsionis
in Ducatu Cliuenſi defunctis hæredibus
maſculis iuxta pactionem dotalem à Ca-
rolo V. obtinuit, atque ita præfatam Fer-
dinandi I. electionem confirmauit:[k] [k] Sleidanus lib. XV. p. 378. Chytræus Saxoniæ lib. XIII. p. 332.
Quod tamen ipſi & toti eius poſteritati
peſsimè ceſsit. Namque optimus Ele-
ctor non modo ſucceſsione Cliuenſi
fruſtratus, ſed etiam paulò poſt 1547. in 1547.
prœlio Mulbergenſi à Carolo V. captus,
& cum omnibus poſteris dignitate Ele-
ctorali & maxima ditionum parte ſpo-
liatus, exemplum cunctis Principibus
reliquit, tutius Hiſpanorum amicitias &
fœdera, quam ſimultates & odia con-
temni. Ex hactenus diſputatis perſpicuè
colligitur, omnes eiuſmodi electiones

Regum Romanorum, viuente Imperatore, à quibuſdam Electoribus aliis excluſis peractas, iure ipſo eſſe nullas, inualidas & inanes: quippe cum leges regni Germanici Septemuiris deſignandi Regis facultatem non concedant, niſi vacante per mortem aut reſignationem Imperio; certumque ſit apud Teutonas, leges Imperiales nonniſi communi omnium Statuum conſenſu abrogari, mutari vel diſpenſari poſſe.[1] Neque ad excuſandam vel palliandam violentam hanc excluſionem excipere licet, quod Electores excluſi Imperatoris vel Collegarum ſuorum ſint hoſtes & inimici. Nam ſecundùm ſtatuta legis Carolinæ c. 2. §. *ſi verò* ipſi Electores, qui Collegas ſuos etiam hoſtes opera, conſilio aut quacunque alia ratione ab officio electionis remouerint, iiſque ſaluum conductum præſtare denegauerint, eo ipſo facto iure ſuffragij priuantur. Sic enim diſertè Bulla Aurea loco citato, *ſi aliquis*, inquit,

[1] Andreas Gail 1. obſer. 42. n. 4. Mynſinger Conſil. 24. num. 18. Buxtorffius ad Auream Bullam c. 7.

inquit, *Princeps Elector cum aliquo ſuo Coëlectore inimicitias gereret, & inter eos quæcunque contentio, controuerſia aut diſſenſio verteretur; his nequaquam obſtantibus, alter alterum vel alterius nuntios ad electionem huiuſmodi deſtinandos conducere ſit aſtrictus, ſub pœna periurij ac perditionis ſuæ vocis in electione &c.* & ſimiliter ſ. *ſi qui verò.* & ſ. *ſi quis autem.* quod maximè locum habet, quando propter ſimultates, odia vel commoda priuata, Elector aliquis ab Imperatore hoſtis declaratus, & hoc prætextu à Collegio Septemuirali ſubmotus fuit; ſicut in præſenti negotio omnibus conſtat. Treuirenſem ob inimicitias particulares cum Hiſpanis, non modo à Cæſare obſtantibus reliquis Electoribus immeritò à Comitijs excluſum, ſed etiam indicta cauſa violentæ cuſtodiæ mancipatum fuiſſe; Palatinum verò iam dudum ditionibus & dignitatibus auitis à Cæſare & Bauaro ſpoliatum, in nupera conſpiratione Pra-

genſi à reliquis Collegarum corruptis, abſque omni iuris & æquitatis ratione proſcriptum fuiſſe. Cum tamen culpa patris liberis innocentibus imputari non poſsit, nec vnquam Fridericus V. Palatinus acceptando ſceptrum Bohemicum, inter Bohemos & Ferdinandum II. Ex-regem controuerſum crimen læſæ Majeſtatis incurrere potuerit. Et profectò excluſio iſta primi Electoris eò patet eſſe iniquior, quod ex antiqua lege & conſuetudine ipſius Comitis Palatini officium eſt iudicare, An Imperator vel Rex Romanorum legitimè electus & deſignatus fuerit: prout expreſsè aſſeritur in Speculo Sueuico l. 1. c. 30. his verbis, *ſi Imperator vel Rex accuſetur de eo, quod corruptione Imperium obtinuerit, id coram Comite Palatino faciendum eſt:* & propterea Speculum iuris Saxonici lib. 3. art. 52. & VVichbilet ſiue ius municipale Magdenburgenſium lib. 1. art. 8. & 9. [m] Palatinum diſertè vocat Iudicem Imperatoris.

[m] Extant apud Goldaſtum in Collectione legum & conſuetudinum Imperij p. 126. & 168. Vide & Buxtorffiū ad Auream Bullā c. 79. 80. 81.

toris. Et ſic obſeruatum fuit ab Electoribus Anno 1300. in accuſatione Alberti Auſtriaci, quem ad Rudolphum Comitem Palatinum Rheni delatum deponi petierunt, *eligentes ipſum pro Iudice Regis, aſſerenteſque id muneris ad Comitem Palatinum pertinere: quod ſit officium Palatinæ dignitatis, ex quadam conſuetudine de cauſis cognoſcere quæ ipſi regi mouerentur*, ait Heinricus Monachus Rebsdorffenſis Chronici pag. 5.[n] Vnde ſanè mirum non eſt, ſi Auſtriaci & Hiſpani, qui præſentem electionem ambitu, muneribus & largitionibus apertis procurauerunt, ab eius conſortio & cognitione Comitem Palatinum ſubmouere ſunt annixi. Illud potius ſtupendum & deteſtandum eſt, quod exemplo hactenus inaudito Archiepiſcopo & Electori Treuirenſi, cuius tamen votum in electione Regis primum inquiri debet,[o] tam arcto & diuturno carcere concluſo, non modo ſaluum conductum denegarunt, ſed etiam

[n] Vide Auentinum Annal. Boiorũ fol. 587. & Munſterũ lib. 3. Coſmographiæ c. 19. vt & Ioh. Lymnæum lib. III. c. IX. §. 23. &c.

[o] Aurea Bulla Tit. 4. §. *cæterum*: ibique Interpretes Iuris publicè.

eundem à Comitijs reiectum iure ſuffragij priuarunt: cum tamen nullius adhuc flagitij in Imperatorem vel Imperium commiſsi accuſari, conuinci, condemnari potuerit; Et Electores ipſi litem eius nuper à Cæſare ad ſe delatam iudicare noluerint, ne collegam innocentem abſoluendo Iberos nocentes offenderent. Et quid quæſo criminis imputari poſsit Illuſtriſsimo Treuirorum Electori, quod partim ad tuendum jus & poteſtatem ſuam ſuper Abbatiam & Monachos S. Maximini, partim ad auertendas Suecorum & Proteſtantium irruptiones, quibus jam Antiſtitem Moguntinum & Herbipolēſem cum multis alijs peſſumdederant, vicini Galliarum Regis protectionem implorauit, vindicem eum libertatis & iurium Eccleſiaſticorum conſtituit, & ſub nudo depoſiti contractu caſtrum Hermanſteinij & Philippi-burgum ipſius fidei & præſidijs commiſit: Atque ita piiſsimi Principis interceſsione

ne

ne apud Suecos, ſibi cunctiſque ſuis ditionibus imminentem ab hoſtibus ruinam euitauit! Quid hîc flagitij fingi poteſt, Electorem Catholicum ab omnibus Catholicis intra & extra Imperium Principibus derelictum, ab Hæreticis & Suecis penè conculcatum, ab Hiſpanis jam prius indigniſsimè oppreſſum & diuexatum; cum Rege Chriſtianiſsimo nudum pro ferendis ſuppetijs fœdus iniјſſe, Diocæſimque Treuirenſem eius protectioni crediдiſſe, à cuius Maioribus & deceſſoribus, innumeris olim beneficijs affecta fuerat.[p] Nam non modò in communi defenſio ſui ſuorumque cuilibet, etiam abſque ſuperioris licentia iure gentium eſt permiſſa *l. vt vim* 3. *ff. de iuſtitia & iure*: licetque ſuperiorem recognoſcentibus pro rerum vel perſonarum ſuarum conſeruatione paciſci[q]; ſed etiam in particulari & ex conſuetudine juris Germanici, liberum eſt Principibus tam ad defendendas, quàm ad recuperandas

[p] Vide Manifeſtum Sereniſſimi Electoris Treuirenſis, ſub titulo; Archiepiſcopatus & Electoratus Treuirenſis per Monachos S. Maximini turbati, editum Treuiris 1633. in 4.

[q] Argumẽto l. Gracchus C. ad legem Iuliam de adulter. Mynſinger Cent. 6. obſer. 2. n. 45. Buxtorffius ad Auream Bullã c. 98.

res ſuas, contra violatores pacis publicæ ligas inſtituere, & fœdera defenſiua etiam abſque Imperatoris conſenſu, tam inter ſe mutuò quàm cum exteris ſancire.[r] Sic enim Aurea Bulla tit. 15. §. *deteſtandas* omnes Statuum confœderationes admittit, modò pro pace publica prouinciarum & communi libertate Imperij ſanciantur, in ijſque perſona Imperatoris ſemper excipiatur. Et Bodinus l. 1. *de Republ. c.* 9. ſuo jam tempore Principes Germaniæ quadraginta fœdera cum ſolis Galliarum Regibus percuſsiſſe perhibet. Sanè poteſtas paciſcendi ſeu fœdera ſanciendi ad iura Majeſtatis pertinet, & autoritatis ſupremæ nota eſt & argumentum. Sicut igitur Majeſtas Imperij Germanici partim in Imperatore, partim in Electoribus reſidet, qui iccircò à lege Carolina T. 2. §. *& quia* propinquiora Imperij membra, & t. 24. §. 1. pars corporis Imperatoris dicuntur: ita etiam ſine vllo dubio ex participatione Maje-

ſtatis,

[r] Ordinationes Cameræ tit. 9. §. So jemand. Menochius Conſ. 32. n. 3. 4. & 27. Bertachinus conſ. 77. n. 12.

ſtatis, jus ſanciendi fœdera competit Electoribus & reliquis Imperij membris regalia in ſuis dominijs habentibus. [f] Neque verò vlla Imperatori vel Imperio ex his nudæ protectionis confœderationibus iniuria infertur. Namque vt communiter docent Iuriſconſulti [t], pacto protectionis nihil detrahitur iuri ſuperioris Ordinarij, defenſio tutori dominium plenum non acquirit, nec clientes efficiuntur ſubditi eius, cuius tuitioni ſe committũt. Imò confœderatorum ea eſt conditio, vt ipſa ratione fœderis ab omni ſubiectione ſint exempti, & reſpectu mutuæ obligationis pares ſocij & collegæ cenſeantur, licet ſtatu potentia & viribus ſint impares. Tantùm ergo abeſt, vt Sereniſsimus Treuirorum Elector conuentione Metenſi 1632. iura Imperij vel Majeſtatem Imperatoris læſerit, vt potius è contrario præcipuum Germaniæ Electoratum contra hoſtium incurſiones ſaluum præſtiterit, & inſtantem ſibi

[f] Zaſius lib. 2. conſ. 1. Andreas Gail lib. 1. de pace publica c. 16. n. 14. Bornitius de iure Majeſtatis c. 25.

[t] Andreas Gail lib. 2. obſ. 54. n. 1. Arniſæus de maieſtate c. 4. Carpzouius de Capitulatione Cæſarea c. VI. §. 8. p. 136.

ſuiſque à Suecis cladem prudenter occuparit: niſi fortè rectius eum fuiſſe facturum credamus, ſi exemplo Moguntini vrbes & ditiones ſuas præſidijs Hiſpanicis commiſiſſet, iiſque mox turpi fuga & væcordi deditione delapſis cuncta ſimul amiſiſſet, & pro illorum recuperatione poſtmodùm eximia Rheni vectigalia Hiſpanis obligaſſet. Hiſce omnibus rite cognitis Illuſtriſsimi Electores nuper Ratisbonæ congregati, non modò Collegam ſuum Præſulem Treuirenſem ad inſtantiam Imperatoris condemnare & deponere recuſarunt; ſed exhibita etiam XXVII. Octobris declaratione publica, nõ aliter eius excluſioni conſentire, aut illo præterito electionem Regis Romanorum aggredi voluerunt, quam ea expreſſa conditione, vt pace cum Francis ſtabilita, omnia à ſe in hiſce Comitijs geſta, ab Electore Treuirenſi, eiuſve ſucceſſore ſolemni autographo approbarentur & confirmarentur [u]: hoc ipſo palàm confitentes,

[u] Vide Acta infra n. VIII.

tentes, electionem iſtam ſaltem reſpectu Treuirenſis excluſi iure ipſo irritam & inualidam; ideoque poſtmodùm ab excluſo ratificandam eſſe. Quod enim per ſe ratum eſt & firmum, alterius vlteriore ratificatione & confirmatione non indiget. Satis iam & abundè probatum arbitror, ratione perquam iniqua Electores Treuirenſem & Palatinum ab electione Regis Romanorum fuiſſe reiectos: reſtat iam vt paucis oſtendamus, exemplo prorſus inſolenti reliquos Electores ad eandem comprobandam muneribus & donis pellectos eſſe, in quo non minima ſanè conſiſtit totius actionis nullitas. Nam fides, integritas & ſinceritas Electorum in deſignatione Cæſaris ita eſt neceſſaria, vt ea ſublata vel blanditijs & pecunijs corrupta, ſuffragia omnia vana & irrita cenſeantur; idque quia expreſsè ſunt contra formulam iuramenti Electorij, quod quiuis Electorum ante electionem poſitis in medio Euangelijs

ſolemniter iurare cogitur, in hunc ferè ſenſum:[x] *quod per fidem, qua Deo & S. Romano Imperio eſt aſtrictus, ſecundùm omnem diſcretionem & intellectum, Dei adiutus auxilio velit eligere temporale caput populo Chriſtiano, id eſt Regem Romanorum in Cæſarem promouendum, qui ad hoc exiſtat idoneus: & quod vocem ſuam & votum dare velit abſque omni pacto, ſtipendio, pretio vel promiſſo, ſeu quocunque modo talia valeant appellari &c.* Et iccircò poteſtatem eligendi amittit Elector, ſi pecuniam pro ſuffragio acceperit; munus electiuum perdit electus, ſi dederit vel promiſerit.[y] In electione enim non minus pretij promiſsio quam ſolutio prohibita eſt, támq; hæc quam illa totam actionem irritam & inualidam reddit: *argumento l. vnic. ff. & C. ad legem Iuliam de ambitu:* in tantùm vt ſi vel vnus Electorum pecuniam acceperit, tota electio nulla habeatur.[z] Et ita in ſpecie cenſent Doctores, non licere pro Imperio conſequendo quicquam dare

[x] Aurea Bulla Tit. 2. §. Ego Archiepiſcopus.

[y] Simon Piſtorius Cõſil. 1. n. 30. Cluten Sylloge c. 24.

[z] c. nobis. de Simoniacis. & ibi Panormit. Simon Piſtorius conſil. 1. n. 33.

dare vel promittere; aliàs dantem incidere in legem Iuliam de ambitu[a]: quippe Imperium iure ſuo ſacroſanctum, Dei donum eſt, & immediatè è cœlo procedit, ideóque prece vel pretio vendi vel vſurpari non debet: & propterea ſacram iſtam dignitatem pecunia vel pactione comparans, eo ipſo illa redditur indignus & inhabilis.[b] Quamobrem cordatè Fridericus Dux Saxoniæ & Elector, cum delatum ſibi Imperium ad Carolum V. ſuffragio ſuo reieciſſet, & Legati Caroli ei iccirco triginta millia florenorum obtuliſſent, eos animo excelſo repudiauit. Cumque vrgeretur vt decem millia pateretur dari miniſtris ſuis: *Accipiant ſanè*, reſpondit, *mei ſi velint: attamen hoc ſciant, quod quicunque aureum vnum acceperit, poſtridiè apud me non durabit*, *neque locum in aula mea inueniet.*[c] Et hac de cauſa omnes eiuſmodi electiones Simoniacæ, vt iure ipſo nullæ & irritæ, ſemper ab Electoribus reiectæ; & Cæſares per munera

N

[a] Iohannes Andreas & Abbas in q. 119. per totum. Buxtorffius ad A. B. c. 32.

[b] c. quoniã. 10. diſtinctione, & c. ſolitæ. de maioritate & obedientia. Gœden in Tractatu de electione R. R. c. 1. §. 9. & 10.

[c] Sleidanus lib. 1. p. 22. Chytræus Saxoniæ lib. x. p. 204. Dreſſerus in millenario VI. p. 442.

aut pecunias Imperium adepti, iudicio Ordinum depoſiti fuerunt. Sic cum An-
1346. no Chriſti 1346. Carolus IV. ambitu patris Iohannis Regis Bohemiæ, à Treuirenſi auunculo, & Colonienſe ac Saxone magna pecuniæ ſumma corruptis, viuente adhuc Ludouico IV. Renis propè Treuirim Rex Romanorum electus eſſet, Principes Imperij ſtatim in Conuentu Spirenſi, mox 1547. in Comitijs Francofurtenſibus electionem iſtam reiecerunt, & Carolum illegitimè electum pro Rege agnoſcere noluerunt. *1. quod pecunia vota Electorum emiſſet. 2. quod non debito loco Francofurti electus, nec Aquiſgrani coronatus eſſet. 3. nec apertè, ſed latenter. 4. nec vacante Imperio, ſed viuente Imperatore. 6. non ob Reipublicæ commodum, ſed ob priuatam cupiditatem*,[d] quæ nullitates omnes ferè & ſingulæ etiam in moderna Regis Romani electione occurrunt. Sic etiam perpetua infamiæ nota traducta fuit electio VVenceſlai I. Regis Romanorum,

d ait Cuſpinianus in Carolo IV. & Caluiſius ad A. 1347. Decretum caſſationis extat apud Goldaſtum Tom. III. Conſtitut. Imp. p. 413.

norum , quam pater ipſius Carolus IV.
corruptis publicè Electoribus , ambitu
& largitionibus immenſis Anno Chriſti
1376. perfecit : de qua ita ſcribit Æneas 1376.
Syluius Hiſtoriæ Bohemicæ cap. XXXIII.
p. 155. *Illud quoque nomini eius non paruam
inuſſit maculam, quod VVenceſlaum ex filijs
ſuis natu maiorem in Imperio ſibi ſucceſſorem
adhuc viuens ordinare conatus eſt, idque pe-
cunia. Nam cum Principes Electores haud
facilè ad eam rem trahi poſſent, quod virtu-
te obtinere non potuit pretio comparauit, pro-
miſſis vnicuique Electorum centum millibus
aureis. Quos cum repræſentare non poſſet, pu-
blica illis Romanæ Reipublicæ vectigalia obli-
gauit, perpetuum Imperij malum. Hinc Ro-
mana poteſtas ad nihilum redacta, nec poſt-
hac extollere caput Imperium potuit, quum
Principes Electores omnia ſibi retinerent,
Imperatoremque iureiurando adigerent, ne
pignora reuocaret. Inde* (ait Albertus
Crantzius Saxoniæ lib. x. c. 3.) *euiſceratum
eſt Imperium : Rheni vectigalia, quæ pro*

patrimonio erant regno, inter Electores departita ſunt. Deplumata eſt Aquila, vt in reliquum ſit cæteris animantibus contemptui: quid enim poteſt ſine pennis? Hac de cauſa etiam VVenceſlaus tandem in conuen-
1400. tu Francofurtenſi 1400. communi Ordinum conſenſu depoſitus, in eiuſque locum Rupertus I. Palatinus electus fuit. [e] Et ne in poſterum ſimiles corruptiones tentarentur, legibus Imperij cautum fuit, vt Electores pro deſignatione Regis vel Imperatoris ſimul in vnum conuenirent, ibique vota ſua coniunctim ſiue collegialiter exponerent. [f] Namque (vt communiter cenſent Doctores [g]) poteſtas eligendi Regem vel Cæſarem ad Electores omnes pertinet vt ad collegium, non verò ad ſingulos & extra collegium opinantes; *& de ſubſtantia electionis eſt, vt ſimul congregati votent collegialiter, non verò ſeparatim & quilibet pro ſe. Ideoque, ſi qui Electores vota ſua alicui ſeorſim aut in angulo & camera dederunt, tota electio inanis*

e Trithemi' in Chronico Spanheimenſi An. 1400. Decretum Exauctorationis VVēceſlai extat apud Goldaſtum Cōſtit. Tom. I. p. 379.

f Aurea Bulla Tit. IV. §. Cęterum. Buxtorffius ad A. B. c. 42.

g Zabarella, Panormitanus, Iohannes de Imola in c. Venerabilē. §. Verum. Gœden cōſil. 1. q. 2. n. 7. 8. Simon Piſtorius conſil. 1. n. 9.

inanis eſt & fruſtranea. Iam verò nemini prudentiorum ignotum eſt, nouiſsimam electionem iam dudum Pirnæ intra priuatos parietes conceptam, inter ſecretos pacis Pragenſis articulos reliquis Electoribus obtruſam, variiſque donis, ſordibus & largitionibus ab illis fuiſſe redemptam. Nam non modò Cæſar inter arcana Tranſactionis Pragenſis ſucceſsionem filij ſui in Imperio mercatus eſt, & propterea Saxoni Luſatiam, Brandenburgico Pomeraniam, Bauaro & Colonienſi totique ipſorum familiæ Electoratum & Palatinatum ſuperiorem, Moguntino loca quædam & vectigalia inferioris contulit: ſed Hiſpani etiam Palatinatu inferiore à Cæſare donati ipſius rogatu ingentes pecuniç ſummas Saxoni, Moguntino &c. diuerſis temporibus exoluerunt, eorúmque ſuffragia pretio ſæpius numerato conduxerunt, & ſacroſanctam Sacramenti religionem largitionibus peruerterunt. Et profectò cum

Digitized by Google

ſumma fidei & nationis Germanicæ infamia paſsim per Europam circumferuntur Autographa, quæ rationes expenſi & accepti argenti accuratè ſubductas exhibent, tantámque auri vim Barcinone, Genua, Antuerpia &c. Hamburgum, Dreſdam, Moguntiam, Coloniam, Monachium &c. cambio tranſmiſſa fuiſſe declarant. [h] Inſuper neminem Germanorum latet, Moguntinum iam à capta per Suecos Moguntia 1631. ſtipendijs & penſionibus Ibericis victitaſſe, & ea de causâ Hiſpanis vectigalia Rheni per ſuam Diœceſim obligaſſe: Bauarum verò Cæſari affinitate & matrimonio neptis ſuæ coniunctum, pro dote Electoralem Palatinatus ditionẽ ac dignitatem accepiſſe, & ad tutandas vſurpationes ſuas Regi Hungariæ ſuo ex ſorore nepoti Imperij culmen detuliſſe. Vnde manifeſtè colligitur nullam prenſandi rationem, vel ambiundi technam ab Auſtriacis omiſſam fuiſſe, ſed per fáſque nefáſque adhibita

[h] Vide infra Numero v. & vi.

bita

Digitized by Google

bita fuiſſe munera, ſpolia, pecunias, inueſtituras, affinitates, & vt vno verbo dicam, conquiſita omnia, quæ fauorem Electorum quocũque modo conciliare, aut ſuffragia quocunque pretio redimere poſſent. Neque ſanè nouum eſt Auſtriacis, affinitate vel elocatione filiarum Imperium mercari. Namque Rudolphus, qui primus regni Majeſtatem familiæ Habsburgenſi intulit, cum alijs opibus deſtitueretur, tres filias ſuas Electoribus ſecularibus deſponſauit, atque ita Imperium proprio ſanguine emit. Sic enim Albertus Argentinenſis Chronici p.169. *Cum, inquit, Moguntinus Colonienſem & Treuirenſem pro ferendo ſuffragio ad partes Rudolphi Comitis de Habsburg induxiſſet, Burggrauius de Nurenburg, qui ipſius Rudolphi erat conſobrinus, Electores ſeculares per promiſſas filiarum eius nuptias illexit, vt ſuffragia ipſi vnanimes deferrent; & ita Comes Palatinus Bauariæ, Dux Saxoniæ & Marchio Brandenburgenſis, qui*

non habebant vxores , *receptis rationibus de dandis ſibi Rodulphi filiabus ſimiliter conſenſerunt* : *ſicque Rodulphus concorditer eſt electus*. Vt autem tutiùs cuncta & pro libidine Auſtriacorum perficerentur, electioni celebrandæ deſtinata eſt Ratisbona, vrbs in confinijs Auſtriæ & Bauariæ ſita, præſidióque Cæſareo bis mille armatorum munita; idque contra expreſſam Aureæ Bullæ ſanctionem, quæ *tit*. 2. §. *præterea* iubet, *vt omnes & ſinguli Electores vel eorum Legati iuxta terminum & locum conſtitutum conueniant Frankfort ſuper Moganum* : & iccircò §. *iniungimus*. & §. *Ciues inſuper* ſolis ciuibus Francofurtenſibus, non verò alijs cuiuſcunque ciuitatis iniungitur, & ſub pœna banni ſeu proſcriptionis mandatur, vt omnes & quoſuis Electores toto electionis tempore contra omnem vim & inuaſionem protegant & defendant. Et ſic ſemper obſeruatum fuit in Imperio, etiam longo tempore ante publicatam legem Carolinam.

linam. Namque ipſe Rudolphus I. A.C. 1273. Adolphus Naſſouius 1292. Albertus Auſtriacus 1298. Henricus Lucelburgicus 1308. & Ludouicus Bauarus 1314. omnes ordine non interrupto Francofurti Reges Romanorum deſignati fuerunt: & poſt eius publicationem VVenceſlaus, Rupertus, reliquique omnes eorum ſucceſſores (excepto ſolo Ferdinando I. & Rudolpho I. ob peſtem Francofurti & in vicinia graſſantem) non alibi Cæſares electi fuerunt. Et ſanè omnem electionem in loco conſueto, & per legem ad hoc deſtinato fieri debere, communis eſt Doctorum conſenſus; ſecus nullam eſſe & inualidam: *quin etiam ſi Concilium alio in loco conuocatum ſit, quam vbi conuocari conſueuerit, actum omnem ipſo iure cenſerit irritum & inanem.*[i] Et propterea electiones omnes Regum vel Cæſarum Romanorum alibi quam Francofurti peractæ, ab Ordinibus Imperij in dubium vocatæ & reiectæ fuerunt. Sic

[i] c. cauſis. c. auditis. c. in Geneſi. de election. & ibidem Panormit. Bartolus in leg. Actuarios. C. de Numer. & Actuar. Reinhardus König. in Synopſi diſc. 4. p. 54.

enim, vt ſuprà vidimus, electio Caroli IV. 1346. non ſolum nullitatis incuſata, ſed etiam per quatuor Electores hanc ob cauſam annullata fuit, quod non Francofurti, ſed Rhenis propè Treuiros facta eſſet.[k] Et ex eodem fundamento inter alia Iohãnes Saxoniæ Elector deſignationem Ferdinandi I. 1531. oppugnauit, quod contra mores & decreta maiorum Coloniæ Agrippinæ inſtituta fuiſſet.[l] Atque hac ipſa de cauſa Proteſtantes in Conuentu Sueinfurtenſi 1532. inter alias conditiones acceptandæ pacis hanc Cæſari præſcripſerunt, *vt quotieſcunque deinceps electio Regis vel Cæſaris Romani peragenda eſſet, Moguntinus Francofurtum collegas conuocaret, neque in eius poteſtate eſſet conuentum alio in loco indicere, niſi Collegæ illud grauibus de cauſis permitterent.*[m] Et ipſe Carolus V. 1519. quamuis graſſante admodum peſte Aquiſgrani coronari voluit, & reluctantibus ea de cauſa Electoribus reſpondit, ſe Caroli IV. legem, quæ ſic

k Cuſpinianus in Carolo IV. fol. 382.

l Sleidanus Comment. lib. VII. Anno 1531.

m Sleidanus Comment. lib. VIII.

ſic ſtatuiſſet, temerè mutare non poſſe: [n] meliore ſanè fide, quam eius ex fratre abnepos Ferdinandus II. qui vt ſecurius de votis voluntatibúſque Electorum diſponeret, eos contra præſcriptum legis Carolinæ Ratisbonam euocauit, vbi portis & muris adhuc recenti ciuium cæde rubentibus, iam à triennio præſidium bis mille armatorum pro Auſtriâ excubat. Cum tamen Aurea Bulla *tit. 2. §. debet* expreſsè ſanciat, *vt vnuſquiſque Princeps vel Elector ciuitatem Francofurtenſem tempore electionis cum ducentis duntaxat equitibus introeat, in eorumque numero quinquaginta tantum armatos ſecum adducat, vel pauciores ſi velit, non verò plures.* Quæ agendi ratio manifeſtè oſtendit, Auſtriacos, ſi muneribus & blanditijs occultis non potuiſſent, vi aperta & Comitijs armatis Septemuiros ad obſequiũ adacturos fuiſſe. Expoſitis tot prædictæ electionis vitijs & nullitatibus, reſtat defectus adhuc vnicus ordine poſtremus, pondere

[n] Sleidanus lib. 11. p. 41. B.

primus, nimirum Hiſpanorum ambitus, ſordes & prenſationes, quibus totius actionis ſinceritatem peruerterunt, & ex deſignatione Cæſaris liberrima nundinationem violentam inſtituerunt. Namque Legatus Hiſpanicus totius ſcenæ artifex non modò excluſo Treuirenſi palatium eius ordinarium per Moguntinum occupauit, ingentibus donis & promiſsis ſingulos Electores demulſit, & præcipuas pro toto negotio expenſas fecit; ſed etiam coacto ſæpius domum ſuam Ordinum Concilio, pleraſque Imperatori propoſitiones & decreta dictauit, Collegio imperauit, Electoribus extorſit. Vidiſſéſque cum magna Principum Teutonicorum ignominiâ, conſilijs totius Germaniæ ad lares exteros reuocatis, peregrinum hominem Alamannis leges dictare, Cæſarem decernere, & de ſumma Reipublicæ pro libitu paciſci. Quæ negotiatio vt in ſe turpiſsima, ita Conſtitutioni Carolinæ directè eſt contraria,

traria, quæ *titul. 2. §. ciues inſuper* ciuibus Francofurtenſibus diſertè præcipit, *vt per omne tempus illud, quo ſuper electione tractari & agi contigerit, neminem in præfatam ciuitatem cuiuſcunque dignitatis conditionis vel ſtatus exſtiterit, intromittant, vel intrare quouis modo permittant, Principibus Electoribus & eorum nuntijs procuratoribuſque duntaxat exceptis: & ſi quem extraneum in præfata ciuitate reperiri contigerit, illius exitum abſque mora & cum effectu protinus procurent &c.* Sed Hiſpani priuati commodi quam publicæ ſalutis appetentiores, quibuſcunque artibus Regem conſanguineum Germanis obtrudere, quam illis legitimam deſignandi rationem concedere maluerunt, nec illud ſine magno fructu & ſingulari emolumento. Namque Imperio in domo Auſtriaca ſtabilito, & per continuam aliquot ſæculorum præſcriptionem confirmato, Hiſpani Cæſarum Auſtriacorum conniuentia de Germanorum potentia & vi-

Digitized by Google

ribus pro libitu diſponent, in eorúmque regione altrice gentium bellicoſiſsimarum quoſcunque delectus inſtituent, auxilia inde contra Gallos, Belgas, Anglos pro nutu accerſent, & vt quondam Heluetiorum opera in occupanda Italia, ſic hodiè Teutonum ſanguine ad conſtitutionem Monarchiæ ſuæ vniuerſalis abutentur. Id quod iam pridem innuit Philippus Haſsiæ Landgrauius, cum Granuellano inter cœtera querenti, Carolum V. ne tantillum quidem emolumenti habere èx Imperio, cordatè reſpõdit, *Etiamſi fortè non ita multum ad Cæſarem ex Imperio redit: tamen quod in Turcam & Gallos & in alios ei dantur auxilia, quod copias perpetuo & exercitus maximos in Germania conſcribere poteſt, cum id cœteris non liceat: quod denique Imperij dignitas authoritatem ei ſummam ad cæteros Reges conciliat, id ſanè non exigui eſt momenti.* [o] Accedit huc, quod tanta potentia in vnica familia tamdiu perennante eueniet, vt proſtra-

tis

[o] Sleidanus lib. XVII. Thuanus lib. XXXV. Reinhardus König. diſc. II. p. 18.

tis & exhauſtis reliquis Principibus Auſtriaci ſoli in Germania rerum potiantur, poteſtatem Ordinum paulatim ſubuertant; Electoratus, Ducatus, Principatus, excluſis legitimis hæredibus, ſibi ſuíſque vendicent; & feuda ad Imperium deuoluta domeſticis vtilitatibus tranſcribant. Id præter experientiam quotidianam ſatis docet hiſtoria Caroli V. qui licet Electoribus inter reliquos Capitulationis Cæſareæ articulos ſanctè promiſiſſet, ſe quaſcunque occupaſſet Imperij prouincias, regno Germaniæ vniturum; tamen poſtquam eiectis Gallis Ducatum Mediolanenſem inuaſit, & Germanorum ſanguine ſudoribúſque acquiſiuit, neglecta ſacramenti religione eum Philippo filio Hiſpaniæ Regi tradidit, atque ita in perpetuum ab Imperio alienauit: adeò vt non falsò olim Archiepiſcopus Treuirenſis 1519. eius electionem diſſuadens, collegis ſuis dixerit, *ſi Carolus rerum potiatur, non eſt quod Italiam nobis redditum*

iri putemus, occupatam perpetuo ſibi retinebunt Hiſpani; nec id modò, ſed nec Imperium hoc noſtrum è manibus facilè dimittent. [p] Et quicquid in contrarium polliceantur Iberi, certo certius eſt illos eadem in reliquis Italiæ feudis tentaturos; in quibus cum ſolus Imperator ius inueſtituræ poſſideat, facilè coniectari licet, quamdiu Imperium apud Auſtriacos permanebit, Ducatus illos & Comitatus nonniſi pro Hiſpanorũ libidine & cõmodo collatum iri. Id quod nuperæ contra ſucceſsionem Mantuanam technæ, vt & aulæ Cæſareæ tergiuerſationes in tradendo inueſtituræ Diplomate ſatis oſtenderunt. Verùm hæc ijs curæ ſint quorum potiſsimum intereſt: nobis ſufficit verſutiſsimæ gentis vafritiem artéſque in proxima electione adhibitas demonſtraſſe, Germanorum miſerias & coniunctam cum cœcitate ſeruitutem deploraſſe, & patriæ in agone conſtitutæ ea reliquiſſe monita, quibus ante perſpectis, poſtea neglectis ſibi

[p] Sleidanus Comment. lib. 1. p. 20. B. Carpzouius de Capit. Cæſarea C. VII. §. 24. p. 167.

ſibi ſoli calamitates ſuas imputabit. Quod ſi forſitan mihi tantis de rebus diſſerenti credere recuſant, audiant oraculum illud Innocentij III. P. R. q quod vt olim de Ducibus Sueuiæ, ita hodie de Archiducibus Auſtriæ conſtat eſſe veriſsimum: *Si prædictus Dux (Sueuiæ Philippus) Imperium obtineret, libertas in electione periret, & Imperij obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur. Nam ſi prout olim Fridericus Conrado, vel Henricus poſtmodum Friderico, ſic nunc* Fridericus *Philippo, vel Philippus Henrico ſuccederet, videretur Imperium non electione, ſed ſucceſſione deberi: præſertim cum multi Principum ex Imperio æquè ſint nobiles & potentes, in eorum præiudicium redundaret, ſi nonniſi de domo Ducum Sueuiæ videretur aliquis ad Imperium aſſumendus.*

q c. Venerabilem. de electione.

FINIS.

Digitized by Google

2

ACTA, RESCRIPTA, MONVMENTA AC DOCVMENTA PVBLICA,

ELECTIONEM REGIS ROMANORVM,
tam in communi, quàm in particulari concernentia:

EX QVIBVS EVIDENTISSIME COLLIGITVR, nuperam Ferdinandi Regis Hungariæ deſignationem in Regem Romanorum,

Contra normam iuris & æquitatis,
Contra mores & inſtituta Maiorum,
Contra leges & conſtitutiones Imperij

RATISBONÆ

Inceptam, tractatam, peractam fuiſſe.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTORVM ET DOCVMENTORVM SERIES.

I. OPPOSITIO & Proteſtatio Ladiſlai Regis Bohemiæ contra electionem Maximiliani I. Regis Romanorum, ſe inſcio & excluſo factam Francofurti 16. Februarij 1486. pag. 1

II. Conſtitutio Septemuiralis de pœnis Electorum, ſi quando Rex Bohemiæ ad electionem Imperatoris vel Regis Romanorum non vocatus vel præteritus fuerit, publicata Francofurti 1489. pag. 3

III. Proteſtatio & appellatio Iohannis Ducis & Electoris Saxoniæ ac confœderatorum Principum, ſuper electione Ferdinandi I. viuente Imperatore perperàm inſtituta Coloniæ Agrippinæ, exeunte Anno Chriſti 1530. pag. 6

IV. Guilhelmi & Ludouici Ducum Bauariæ Facultas, ipſorum Conſiliariis & Procuratoribus conceſſa, ſuper ineundo fœdere cum Legato & Oratore Franciſci I. Regis Galliarum, contra violentam & præproperam Ferdinandi I. electionem in Regem Romanorum, data Monachij 25. Maij 1532. pag. 8

V. Excerpta literarum à N. Conſiliario Electorali Colonienſi ad N. Epiſcopo Herbipolenſi à ſecretis conſiliis ſcriptarum 3. Septembris 1636. *Ex quibus clarè perſpicitur, Moguntinum & Colonienſem Electores nummis Hiſpanicis corruptos, Ratiſbonæ ſuffragia ſua vendidiſſe: Treuirenſem verò primùm blanditÿs & largitionibus tentatum, cum eas abnuiſſet, vi aperta à Comitiis excluſum fuiſſe.* pag. 11

VI. Excerpta literarum ex Saxonia datarum die 22.

Digitized by Google

Decembris ſtylo vetere exeuntis Anni 1635. *Ex quibus clarè apparet, Electorem Saxoniæ ære Hiſpanico corruptum, Tranſactionem Pragenſem, & inter ſecretos eius articulos futuram Regis Romanorum electionem approbaſſe.* pag. 14

VII. Acta electionis nouiſſimi Regis Romanorum ex programmate Germanico Ratiſbonæ edito 1636. in Latinum conuerſa: ex quibus Conuentus Ratiſbonenſis nundinationes, clarè eluceſcunt. pag. 15

VIII. Reſponſum & decretum S. Cæſareæ Majeſtatis ad Declarationem & Commonitionem Electorum ſuper tribus Propoſitionis Cæſareæ articulis exhibitam, datum Ratiſbonæ 1. Decembris 1636. *Ex quo perſpicuè colligitur, electionem nouiſſimi Regis Romanorum ſaltem reſpectu Electoris Treuirenſis inualidam fuiſſe, ab eóque reſtituto confirmandam et ratificandam eſſe.* p. 26

IX. Proteſtatio Sereniſſimi Principis CAROLI LVDOVICI Comitis Palatini ad Rhenum, S. Romani Imperij Archidapiferi & Electoris &c. contra anormem Regis Romani electionem, ſe & Electore Treuirenſi excluſis & non vocatis factam: data Hamptoncurij in Anglia XXVII. Ianuarij Anno M. DC. XXXVII.

OPPOSITIO

Numero I.

OPPOSITIO ET PROTESTATIO
LADISLAI REGIS BOHEMIÆ,
CONTRA ELECTIONEM MAXIMILIANI I. REGIS ROMANORVM,
SE INSCIO ET EXCLVSO FACTAM
Francofurti 16. *Februarij* 1486.

Hiſtoria extat apud Hartmannum Maurum L L. Prof. Hermanni quondam Archiepiſcopi Colonienſis Conſiliarium, & Cameræ Imperialis Adſeſſorem, in Relatione coronationis Caroli V. in Regem Romanorum, pag. 274. his verbis.

Ex Politicis Imperialibus Goldaſti, parte III. NVM. III, p. 274.

QVANQVAM *Rex Bohemiæ perrarò adſit conuentibus tractatibuſque Electorum, neque fœdera pro manutenenda communi dignitate cum eiſdem proximis ſeculis percuſſerit, non operas Imperio voluntariaſque collationes præſtet, neque gratuita onera ferat, non denique in circulis illis, in quos Imperium digeſtum atque partitum, comprehendatur: Tamen Elector Imperij eſt, & tertium in Conſilio Electorum, tempore Electionis Regis ſuffragium adhibet; Ita, quod impunè præteriri non poterit ob pœnam, quæ in aurea Bulla exprimitur. Et anno Chriſti* 1486. *cum tempore Electionis Diui Maximiliani, eo quod fortè non ſatis conueniebat inter Fridericum Cæſarem & Regem Bohemiæ, Ladiſlaus Rex Bohemiæ, S.Rom. Imperij Elector & Archipincerna præteritus fuiſſet, adeò non diſſimu-*

lanter tulit, vt pœnam aureæ Bullæ, in quam inciderant Principes, acerrime interpellando poſtulare non ceſſaret, armaque præter hoc ſe illaturum minaretur, redireque aliquamdiu in gratiam litique renunciare pertinaciter recuſauit, niſi ea conditione, vt remitteretur Regibus Bohemiæ ius illud Imperatorum, quod Reges Bohemiæ Imperatores in Italiam in perſonis euntes ſequi coguntur, aut loco eius ſeruitij octingentos ducatos, quoties Imperatores Alpes tranſcendere contigerit, exoluere. Illo negato à Cæſare Friderico, tandem ſub pacto atque conuentione vlterius ipſos nequaquam poatereundi Reges Bohemiæ, ſub pœna quingentarum marcarum auri deciſum tranſactumque fuit, & Ladiſlaus Rex ratificata Electione Maximiliani quæſitis liti iurique renunciauit; Principibus hac etiam excuſatione vtentibus, electionem Maximiliani non ex prædeſtinato Franckfordiæ, ſed vrgentibus de cauſis perceleriter atq; ſubitariè celebratam.

Videatur Hageciusin Chronico Bohemiæ 1487. Freherus in Notis ad P. de Andl. lib. 2. cap. 2. Knichen de Saxon. non prouoc. priuileg. Buxtorffus ad Auream Bullam concluſione 18. Daniel Otto de Iure publico, fol. 252. Ioachimus Cluten in Sylloge rerum quotidianarum c. 24. l. c. Ioh. Paulus VVindek de Origine Electorum c. xv. n. 8. Dominicus Arumæus ad Auream Bullam diſc. 1. c. 25. & diſcur. 3. concl. 8. & diſc. 8. concl. 8. c. 5. Beſoldus in diſcurſu 1. de ſtatu Reipubl. ſubaltern. c. 7. p. 10. Reinhardus König. in Theatro politico, parte 1. cap. 30. num. 30. Bertramus de Comitiis Imper. membr. 3. concl. 31.

CONSTITVTIO

II.

CONSTITVTIO DE POENIS ELECTORVM, SI QVANDO REX BOHEMIÆ AD ELECTIONEM IMPERATORIS VEL REGIS Romanorum non vocatus vel præteritus fuerit, publicata Francofurti 1489.

NOS BERCHTOLDVS *Dei gratia Sacroſanctæ ſedis Moguntinæ Archiepiſcopus, ſacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius & Elector.* HERMANNVS *Dei gratia Archiepiſcopus Colonienſis, Dux Angriuariæ & VVeſtphaliæ, ſacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius & Elector.* IOHANNES *Archiepiſcopus Treuirenſis, Sac. Rom. Imp per Gallias & Regnum Arelatenſe Archicancellarius & Elector.* PHILIPPVS *Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ, Sac. Rom. Imperij Archidapifer & Elector.* FRIDERICVS *Dux Saxoniæ, Landgrauius Thuringiæ & Marchio Miſniæ, Sac. Rom. Imper. Archimarchalcus & Elector.* Et IOHANNES *Marchio Brandenburgicus Sac. Rom Jmp. Archicamerarius & Elector; confitemur & vigore præſentium literarum publicè atteſtamur, Quod cum anno Domini Saluatoris noſtri* 1486. *à Cæſarea Maieſtate ad collegialem Conuentum apud Francofurtum ad Mœnum, ſuper quibuſdam ſacri Imperij negotiis deliberãdis, minimè verò ſuper electione Regis Romanorũ peragenda, conſcripti & conuocati eſſemus, ibidemque præter ſcopum aliis cauſis incidentibus electionem Regis Roma-*

Extat Germanicè apud Goldaſtum in den Reichs ſatzungen, Parte II. A. 1489. f. 178. & in den Beylagen, ſeu Documentis Bohemicis Germanicè editis 1627. p. 235.

norum neceſſariam, & ex vſu Sac. Rom. Imperij fore iudicaſſemus, atque ita abſente & præterito Sereniſſimo Principe ac Domino Vladiſlao Rege Bohemiæ & Marchione Morauiæ dilecto noſtro Patruo & Affine, electio Regis Romanorum facta fuiſſet: Eo facto Sereniſſimus Princeps ad iuſtā indignationem excitatus, tenore Diplomatis ſeu priuilegij cuiuſdam ſuis præceſſoribus Bohemiæ Regibus tanquam veris Electoribus Sac. Rom. Imperij quondam conceſſi, pœnam quingentarum marcarum auri puri (in quam Principes Electores inciderunt) poſtulare contendit. Quapropter cum talis præteritionis culpa in præfata Electione, non ex prædeſtinato conſilio, nec in contemptum & præiudicium ipſius Regiæ dignitatis, iuris ac poteſtatis, ſed vrgentibus de cauſis ſubitariè commiſſa fuerit: Ad hæc omnibus retrò temporibus, prædictus Sereniſſimus Bohemiæ Rex à nobis & toto Imperio Rom. pro legitimo Electore & Archipincerna Sac. Rom. Imperij vſque adhuc ſit habitus; Ideò Nos ſupra nominati Principes & Electores, Sereniſſimo Principi Vladiſlao Regi Bohemiæ patruo noſtro chariſſimo, & inclytæ Coronæ Bohemicæ ad maiorem honorem & vtilitatem, necnon ad conſeruationem publicæ concordiæ & amicitiæ, de certa ſcientia & plena voluntate, tenore præſentium conceſſimus & decreuimus, & pro nobis & ſucceſſoribus noſtris concedimus & decernimus, quod ſi quacunq; ratione vllis futuris tēporibus, Imperator aut Rex Romanorū per nos ipſos vel per nuntios & legatos noſtros electus fuerit, & prædictus Sereniſſimus Princeps patruus noſter chariſſimus ad hoc ſolenniter non vocatus, atque ita Electio noſtro noſtrorumve ſucceſſorum conſilio & voluntate peracta fuerit, Nos & ſucceſſores noſtri pœnam 500. Marcarum auri puri ſinguli regi Bohemiæ perſoluemus: Eamque ſummam per partes, videlicet ſingulis annis tertiam vnam præfato Principi dilecto patruo noſtro ipſi vel etiam alias Coronæ Bohemicæ

Bohemicæ numerandam, omnes & ſinguli pro nobis & ſucceſſoribus noſtris conſtituimus: Inſuper hoc publicum Diploma ſeu priuilegium prædicto Sereniſſimo Regi patruo noſtro chariſſimo, aut coronæ Bohemicæ eiuſve libertati, priuilegiis & iuribus, nullam penitùs diminutionem aut præiudicium adferre volumus, & ſine omni dolo & fraude ſincerè proteſtamur. In cuius rei fidem & teſtimonium, haſce literas publico noſtro ſigillo communiri fecimus. Datum Francofurti ad Mœnum, Anno Domini 1489.

Digitized by Google

III.

PROTESTATIO ET APPELLATIO IOHANNIS DVCIS ET ELECTORIS SAXONIÆ, AC confœderatorum Principum, ſuper electione Ferdinandi I. viuente Imperatore perperam inſtituta Coloniæ Agrippinæ, exeunte anno 1530.

Extat Germanicè cũ aliis Actis electionem Ferdinandi I. concernentibus, apud Fridericum Hortlederum Iuriſconſultũ, Tomo I. de cauſis belli Smalcaldici lib. IV. c. IX. num. 176. p. 151. &c.

Eam his penè verbis exponit Sleidanus Comment. de ſtatu Religionis & Reipublicæ libro VII. pag. 172. 173.

SAxo & confœderati Principes Philippus Haſſiæ Landgrauius, Albertus Comes Mansfeldiæ, &c. Smàlcaldia dant literas ad Cæſarem die XXIIII. Decemb. *audire ſe, & peruulgatum eſſe, quaſi fratrem ſuum Ferdinandum, qui valdè ſollicitet & ambiat, creari velit Romanorum Regem: iam verò, quæ ſit Principum Electorum in eo poteſtas, & quid iuris habeant ex formula legis Carolinæ, quum mortuo Cæſare totius Imperij nomine creandus eſt alter, notum eſſe omnibus. Verumtamen ipſo incolumi & ſuperſtite, cum in eum caſum res non reciderit, à Moguntino Coloniam euocatos eſſe Principes Electores ad exitum huius menſis, omnino contra præſcriptum legis, contraque morem Imperij: audire etiam, venturos eò reliquos Electores ipſius rogatu, & fore vt ambiente ac prehenſante Ferdinando, velut ex pacto & pollicitatione res conficiatur: Hanc enim famam longè lateque iam eſſe diſſeminatam. Quod cum ita ſit, voluiſſe de quibuſdam ipſum admonere: & quamquam abſtinere malint ab hoc genus oratione,*

tamen

tamen quod & ipſum & patriam ament, eiuſque libertatem in primis inde à maioribus acceptam, deinde quia nunc in hac mundi ſenectute multa captioſe fiant & aſtutè, non ſe poſſe aliter facere. Primum igitur ſcire ipſum quam accuratè, quam ſanctè, quibus verbis atque pactis Imperio ſe deuinxerit & obligarit, quomodo fide data per iuſiurandum promiſerit ſeruare legem Carolinam, ex qua ſane libertas Imperij potiſsimum dependeat, quomodo ſpoſponderit neque ſe quicquam eſſe contra facturum, nec aliis etiam vt faciant permiſſurum. Hæc nimirũ pacta violari non poſſe neque reſcindi aut mutari, niſi de communi omnium Ordinum conſilio ac voluntate: Nunc autem, ſiquidem ipſo viuo & ſuperſtite Romanorum Rex creetur, & quidem frater germanus ambiens atque rogans, videre ipſum, quemadmodum id planè fiat contra legem, contra ius atque libertatem Imperij, contraque ſponſionem atque pactum & eam, qua ſit Reipublicæ deuinctus fidem. Quam etiam ipſi non ſit commodum, quam ſibi quoque futurum graue, totique Imperio, duos habere eodem tempore dominos quibus ſit obtemperandum. Et quia moleſtè ſint laturi, ſi quidem aut ipſi tale quid ob non ſeruatam fidem exprobretur, aut etiam ſibi propter ſocordiam & male defenſam Rempublicam obiiciatur, ideò ſe petere maiorem in modum, vt hoc ſuum ſcriptum & ipſius atque patriæ charitati, & conditioni temporum attribuat, & res ante actas in memoriam reuocet, & eiuſmodi creationem noui Regis pro ſuo munere & authoritate prohibeat, & ſecum diligenter expendat, quantis ea res malis & incommodis occaſionem ſit in poſterum præbitura, niſi caueatur: His etiam de rebus dare ſe literas ad reliquos Electores, atque ſperare facturos eſſe quod ſit ex vſu Reipublicæ, & daturos operam, ne qua fiat Ordinum Imperij diuulſio. Quod reliquum eſt, omnia ſe velle ipſius cauſa, quantum facultatibus omnino poſsint, &c.

IV.

VVILHELMI ET LVDOVICI DVCVM BAVARIÆ FACVLTAS

ipſorum Conſiliariis & Procuratoribus conceſſa ſuper ineundo fœdere cum Legato & Oratore Sereniſſimi Franciſci I. Regis Galliarum, contra violentam & præproperam Ferdinandi I. Electionem in Regem Romanorum: data Monachij 25. May 1532.

DEI *gratia nos Vuilhelmus & Ludouicus fratres, Comites Palatini Rheni, ſuperioris & inferioris Bauariæ Duces &c. Recognoſcimus ac tenore præſentium coram vniuerſis profitemur; Quum altero iam anno elapſo noua Romanorum Regis electio in perſonam Sereniſſimi Ferdinandi Bohemiæ Regis perperam ſuſcepta, ac contra maiorum exempla celebrata fuerit, cuius aduerſus nullitatem Illuſtriſſimus Princeps Elector Saxoniæ conſanguineus noſter chariſſimus, medio eius filij Domini Io. Friderici ingenuè proteſtatus eſt, ab eaque vti merito conueniebat, appellauit: Huic ergo nos proteſtationi adhærentes, quo Germanicæ gloriæ atque auitæ libertati ſacri Romani Imperij expeditius conſulere poſſemus, neve priuilegium Bullæ aureæ, laudabileſque atque inueteratas conſuetudines, ius, pacem, æquitatem ac Germanicæ gentis dignitatem nobis turpiter è manibus eripi pateremur, quum præcipue electio eiuſcemodi ab aliis quoque Chriſtianis Potentatibus extra limites Germaniæ conſtitutis reprobatu digna in hanc vſque diem meritò cenſeatur. Ea propter ſpeciale fœdus cum Illuſtriſſimis Principibus, eodem ſcilicet Electore atque* eius

eius filio, ac Domino Philippo Landgrauio Haſſiæ, atque aliis etiam quibuſdã Principibus, Comitibus & Statibus, ſummi Dei auſpicio iniuimus. Quumque inſuper inter potentiſſimos ac Chriſtianiſſimos Francorũ Reges, ac eiuſdem Romani Imperij Principes ac Status, ad mutuam Iurium, priuilegiorum ac veterum conſuetudinum defenſionem ſanctum fœdus interceſſerit, atque ideo Sereniſſimus & potentiſſimus Princeps & Dominus, Dominus Franciſcus Francorum Rex Chriſtianiſſimus hac de re per nos atque alios fœderatos admonitus, vtque communis noſtræ cauſæ protectionem ſuſcipere dignaretur omni reuerentia requiſitus, Illuſtrem ac generoſum Dominum VVilhelmum Bellaium Langium in Majeſtatis ſuæ Procuratorem, Nuncium atque Oratorem digniſſimum, cum ſufficienti mandato delegerit, ſupraſcriptis de rebus conueniendi, tractandi ac conditionibus quibuſcunque paciſcendi; propterea nos è diuerſo dilectorum ac fidelium conſiliariorum noſtrorum Iohannis VVeiſſenfelders Legum Licentiati, & Boni Accurſij Gryneri fidem atque integritatem experti, eoſdem per has literas deſignamus, inſtituimus & creamus Commiſſarios & Procuratores noſtros, plena cum autoritate & mandato ſpeciali, vt pro nobis & nomine noſtro poſſint & debeant omnia & ſingula quoquo appellentur nomine, cum præfato Domino VVilhelmo vice eiuſdem Regiæ Maieſtatis commentari, tractare & paciſci, quæ ad hoſtium quorumcumque frangenda conſilia atque impetus propulſandos iudicauerint neceſſaria; vnaque cum eodem Domino VVilhelmo prouidere, ne nobis ac reliquis Germanis Principibus conſuetudo ſuperiorum in Cæſare deſignando è manibus extorqueatur. Quod ſi vllos inimicos hæc ſuſcepta Iurium defenſio Chriſtianiſſimo Regi, nobiſve aut fœderatis noſtris pepererit, poſſint ac debeant ijdem Commiſſarij & Procuratores noſtri, quibuſnam alter alterum adiuuare debeat auxiliis,

Digitized by Google

vna cum præſato Domino VVilhelmo nomine ſuæ Regiæ Majeſtatis conuenire, tractare & paciſci, quibuſcumque legibus, conditionibus, obligationibus & cautionibus rem tractandam exiſtimauerint. Quibus nos Commiſſariis & Procuratoribus noſtris (modò vt ne ad quemquam bello laceſcendum, ſed inimicorum conatus repellendos quæpiam conſilia ineantur) plenam harum rerum & quæ pendere ab his videbuntur gerendarum, componendarum & tranſigendarum auctoritatem & poteſtatem, atque omnimodum mandatum concedimus, etiamſi talia occurrerent, quæ vel præſentiam noſtram, vel ſpecialius poſcere mandatum viderentur. Promittentes bona fide & verbo probatorum Principum, ſub hypothecaque bonorum noſtrorum omnium præſentium & futurorum, nos gratum ratum perpetuò habituros, confirmaturos, impleturos & penitus præſtituros, nec vllo vnquam modo vel tempore infirmaturos, quicquid hoc in negotio cum eius circumſtantiis per prædictos Commiſſarios & Procuratores noſtros actum, geſtum, promiſſum, pactum, concluſum & iuratum fuerit, harum teſtimonio literarum. Quibus idcircò manibus noſtris propriis ſubſcriptis, commune etiam noſtrum ſigillum apponi iuſſimus. Datum in Vrbe noſtra Monachio die 25. menſis Maij, anno Domini 1532.

Signatum, VV. HERTZOG VON BAYREN,
LVDVVIG VON BAYREN.

EXCERPTA

V.

EXCERPTA LITERARVM A N. CONSILIARIO ELECTORALI COLONIENSI AD N. EPISCOPO Herbipolenſi à ſecretis conſiliis ſcriptarum 3. Septemb. 1636.

Ex quibus certò liquet, Moguntinum & Colonienſem Electores nummis Hiſpanicis corruptos, Ratiſbonæ ſuffragia ſua vendidiſſe: Treuirenſem verò primùm blanditiis & largitionibus tentatum, cum eas abnuiſſet, vi aperta à Comitiis excluſum fuiſſe.

QVOD *de negotio Palatino ſcribis, Domine Clariſſime, deque eo, quod Orator Regis Angliæ multa ſibi pollicetur, quaſi Cæſarea Majeſtas nimis prolixe animum ſuum detexerit, humanitati veſtræ probe compertum eſt, ad præfixum vt noſti ſcopum conſequendũ, pro moderno rerum ſtatu vix aliam viam & rationem inſiſti poſſe. Namque non exigui eſt momenti, tot ambagibus tempus extraxiſſe, & vana exſpectatione animos exterorum nobis deuinxiſſe: Vnde ſine dubio ſperare liceat, fore vt Orator Britannicus reſponſis iſtis æquieſcat, præſertim ſi Cæſarea Majeſtas adhuc aliam legationem ad Regem Angliæ decernat, viciſſimque Rex Angliæ alium Oratorem cum plenaria poteſtate Viennam vel ad Conuentum Electoralem tranſmittat. Interea res omnis in eum deducetur ſtatum, vt nihil nobis ab Anglia diſcriminis ſit metuendum, maximè ſi aduerſa ab illo ac alienata Dania, & ad noſtras partes perducta fuerit.*

Cæterum cum ditiones Palatinæ incolis & opibus ita ſint exhauſtæ, vt cum ante triennium in præcipua Alzeæ præfectura adhuc octo millia ciuium & ruricolarum inuenti eſſent, tamen Paſchate ſuperiori vix octingenti numerari potuerint; facile colligi poteſt, ſine ſingulari quopiam ſubſidio tam breui tempore nullos reditus ex iis regionibus eſſe ſperandos. Quare intentioni tibi non incognitæ haud parum inſeruiet, ſi Rex Angliæ quacumque ratione perſuaderi vel adduci poßit, vt ſuis ex ſorore nepotibus inſignem pecuniæ ſummam ad dictarum prouinciarum reſtaurationem largiendo, quaſi inſcius aduerſam partem adiuuaret: Atque ita Illuſtrißimus Bauariæ Elector ſine vllis ſuis impenſis aliquando vberrimos harum ditionum reditus percipere poſſet, modò vt ſpes eſt hæredem maſculum quamprimùm ſuſcipiat. Namque ita totum negotium firmiore fundamento innitetur, & controuerſia perceptorum à Palatinis fructuum ab eo tempore, qua familia Bauaricâ Electoratu ſpoliata fuit, commodius decidetur. Qui fructus (ſicut rationes iam ſubductæ oſtendunt, & Regis Hiſpaniarum legatus, necnon Illuſtrißimus Elector noſter ab iis ſufficienter ſunt edocti) in eam quantitatem excreſcunt, quam à Rege Angliæ vnquam exolui poſſe non eſt metuendum. Circa tempus verò æſtiuum facilius rem aggredi licebit, & vt ſperandum, de omni commeatu maior erit certitudo & ſecuritas. In primis ſedulò in hoc elaborandum, quomodo hoſtilis ille nidus Hanouia vel obſidione vel alia ratione occupari aut præcludi poßit; quippe ſolum illud latronum receptaculum aditum hoſti ad prouincias Palatinas liberum præſtare, atque ita omnem ſortis aleam facilè mutare poſſet. Cum econtra illo occupato, non modo ciuitatem Francofurtenſem arctius conſtringere licebit: ſed etiam circulum Rhenanum à Saxonico ſeparare, arcem belli commodißimam ibidem conſtituere, & Haßiæ Landgrauium (qui nunc temporis apud

Hollandos

Hollandos ſubſidia quærens nouos motus agitat) quantocyus opprimere promptum erit. Interim vir Clariſs. tui officij & muneris erit, hoc præcipue apud Principem veſtrum Celſ. vrgere, omneſque tibi perſpectas rei circumſtantias pluribus demonſtrare, & totum negotium ea cura & ſollicitudine perficere, ne minima in eo temporis iactura interueniat. Georgius Darmſtadij Landgrauius huic cauſæ non deerit, & de renunciatione quorumdam locorum Palatinatus in ripa Rheni ab ipſo occupatorum, vt ſunt Caubium & Palatium, cum Electore Moguntino (cui huius rei plena poteſtas à Rege Hiſpaniæ facta eſt) facillimè tranſiget, prout iam ſatis vniuerſis conſtat. Et ipſe Elector Moguntinus (cui iam ante aliquod tempus à Rege Hiſpaniarum pro Hypotheca vectigalium Rheni, non ſolum magnifica hucuſque ſtipendia conceſſa, ſed etiam præter negotium Palatinum pro itinere ad proximum Electorum conuentum octoginta millia Imperialium numerata fuerunt) conſilio & opera omne id præſtabit, quodcunque ad cauſam hanc expedire ratus fuerit. Quemadmodum etiam Elector Treuirenſis (qui vt huic Collegiali conuentui intereſſet, ad eumdem finem culpæ ſuæ veniam obtinuit, & inſuper non exigua pecuniæ ſumma donatus fuit) hoc vnum acturus eſt, quod ex re Imperatoris fore videbitur. Princeps meus Illuſtriſſimus Elector, quippe eiuſdem cauſæ & conuentionis particeps, eorum operas pro virili ſecundabit, ſicuti vobis iam pridem ſignificatum fuit: ita vt nullus dubitem, quin res omnes inpoſterum nobis ad votum proſperè ſint ſucceſſuræ.

Digitized by Google

VI.

EXCERPTA LITERARVM EX SAXONIA DATARVM DIE XXII. ET XXIII. DECEMB. STYLO VETERI, exeuntis anni 1635.

Ex quibus clarè apparet, Electorem Saxonem ære Hiſpanico corruptum Tranſactionem Pragenſem, & inter ſecretos eius Articulos futuram Regis Romanorum electionem approbaſſe.

ANte *triduum Hamburgi quatuor millia Philippicorum per N. & decem millia Regalium per N. Antuerpia Dreſdam ad N. & N. per cambium deſtinata, ære præſenti exſoluta fuerunt. &c.*

VII.

ACTA ELECTIONIS
NOVISSIMI REGIS ROMANORVM,
EDITA RATISBONÆ M. DC. XXXVI.
ſub titulo,

Hiſtoria actus celeberrimi, quo in Comitijs Ratiſbonæ habitis Imperio Romano-Germanico noua ſalus eluxit, electo in Regem Romanorum per vnanimen conſenſum Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino *Ferdinando III.* Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Rege, Archiduce Auſtriæ $\frac{22}{12}$ Decembris, Anno 1636.

ACTVS ELECTIONIS.

DIE *Dominica* 22. *Nouembris Anno* 1636. *hora octaua ante meridianâ, præſentes Sereniſſimi Domini Electores Moguntinus, Colonienſis, Rex Bohemiæ, Dux Bauariæ, necnon Electorum Saxonis & Brandenburgici Legati, in curia ſeu Palatio ordinario comparuerunt; Ibique ſumpto Electorali habitu, & Eccleſiaſtici quidem veſte coccinea, Rex verò Bohemiæ alijque ſeculares Electores holoſerica rubra induti, ex Palatio ad templum Cathedrale bini equis inſidentes ſequente ordine proceſſerunt. Primùm quidem Electores Moguntinus & Colonienſis ordinem tenuerunt; Quos alij bini Rex Bohemiæ ad dextram & Elector Bauariæ ad ſiniſtram; hos verò Electorum Saxoniæ & Brandenburgenſis Legati, illius ad dextram, huius ad ſiniſtram*

manum ſecuti ſunt: Ita vt vnicuique Electorum per ſuum hæreditarium Mariſcalcum equo itidem inſidentem enſis in vagina reconditus præferretur.

Cum iam ad templum deuentum eſſet, Electores relictis equis ſuis, prælato vnicuique enſe Electorali chorum templi ingreßi, ſinguli ordinariam ſeßionem occupauerunt; nempe ad dextrum chori latus primum locum altari proximum Elector Moguntinus occupauit, ſecundum Rex Bohemiæ, tertium Dux Bauariæ ſibi vindicarunt. E regione *ad latus ſiniſtrum, primam ſedem Elector Colonienſis, ſecundam Electoris Saxoniæ Legatus, tertiam Electoris Brandenburgici Legatus tenuere; In medio autem chori ſingularis pro Electore Treuirorum abſente ſedes præparata fuit. Ante Electores durante ſacro Miſſæ officio ſupranominati hæreditarij Mariſcalci, Electorales enſes manibus portantes adſtiterunt: & ſupra cathedras ſingulorum Electorum hæcce verba maioribus characteribus in pergameno ſcripta ac ſingulatim ſuſpenſa fuerunt,* Moguntia, Treuiri, Colonia, Bohemia, Palatinatus, Saxonia, Marchionatus Brandenburgicus.

Simulatque autem Domini Electores & Legati ſeßiones ſuas iuxta ordinem præfatum occupauerunt, Antiphona Veni ſancte Spiritus &c. *decantari cœpta eſt, quam mox, vt & totum ſacræ Miſſæ officium, Cæſareus muſicorum chorus cum correſpondente ipſi Collecta excepit; cui ſingulari cum deuotione & attentis animis Electores & Rex Bohemiæ (qui etiam depoſita ex capite Corona ſua & genu flexo, Electoris verò Saxoniæ Legatus erectis genibus) auſcultarunt. Exin ipſum ſacrum Miſſæ officium de Spiritu ſancto iuxta tenorem Bullæ Aureæ ſubſecutum eſt, & cum ad* Kyrie eleiſon *deuentum fuiſſet, Legatus Saxonicus in ſacellum, vſque dum ſacra Liturgia finiretur, ſeceßit. Et Epiſtolam quidem Dominus Kratzius Cantor* Eccleſiæ *Moguntinæ Metropolitanæ:* Euangelium *verò*

verò Dominus de Sinzing Præpoſitus Eccleſiæ *Spirenſis, & Decanus Metropolitanus Magdenburgenſis decantarunt. Qui duo etiam ad Miſſam miniſtrantes cum ſacro* Euangeliorum *libro & thuribulo argenteo è regione* Electorum *conſtiterunt, ſeſeque coram illis, puta primò coram* Electore *Moguntino, ſecundò coram* Electore *Colonienſi, poſt coràm Majeſtate Regia, denique coràm* Electore *Bauariæ, aliorumque Legatis ter inclinantes, ſacroſancta* Euangelia *ſingulis oſculanda præbuerunt. Paulò poſt inchoato* Agnus Dei, *ſupradicti miniſtrantes ſimili modo ſe incuruantes patenam circumtulerunt, ſingulisque Electoribus vt & Legato Brandenburgico oſculandam porrexerunt.*

Sacro finito Electoris *Saxoniæ Legatus ex ſacello regreſſus priorem ſedem repetijt, & interea Dominus* Epiſcopus *Ratiſbonenſis caſulam ſuam cum cappa* Epiſcopali *mutauit, iterumque flexis genibus ante ſummum Altare ſacrum Hymnum* Veni Creator Spiritus *exorſus eſt, quem muſica Regia mox excepit & compleuit.*

Ita peracto ſacro dictus Epiſcopus *cum ſuis iam memoratis miniſtrantibus & adſtantibus, videlicet Domino Cantore Metropolitano Moguntino, & Præpoſito Diæceſano Spirenſi, necnon duobus Canonicis Ratiſbonenſibus, qui ſimiliter durante ſacro Altari miniſtrauerant, ab Altari receßit, ſtatimque omnes & ſinguli* Electores *& Legati eodem ordine, quo ad templum proceſſerunt, ad ſummum Altare, in quo ſacroſancta* Euangelia *erant expoſita prodierunt. Et* Elector *Moguntinus ad medium Altaris iuxta ſacra* Euangelia *conſtitutus, Coëlectores ſuos & Legatos propè conſiſtentes hac oratione compellauit:* Quoniam inter eos dudum de peragenda hodie Regis Romanorum electione conuenerit, neceſſe primò ſibi videri, vt ex tenore Bullæ Aureæ ac more inſtitutoque Maiorum, poſt peractum Miſſæ officium de Spiritu ſan-

Digitized by Google

ĉto, vnuſquiſque Electorum conſuetum iuramentum præſtet. Ad quod debitum exſoluendum cum ipſe ſit paratiſſimus, illud ipſum à ſingulis Dominis ſuis Coëlectoribus & Legatis præſentibus exſpectare. *Et ſic confeſtim formula iuramenti Electori Colonienſi tradita, eadémque à Colonienſi prælecta, Moguntinus coram omnibus ſolemne Sacramentum his ferè verbis præſtitit.*

Ego Anſelmus Caſimirus Dei gratia Archiepiſcopus Moguntinus, S. Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector, iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia hic præſentialiter coram me poſita, quod ego per fidem (qua ego Deo & S. Romano Imperio ſum aſtrictus) ſecundùm omnem diſcretionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput populo Chriſtiano, id eſt Regem Romanorum in Cæſarem promouendum, qui ad hoc exiſtat idoneus, in quantum diſcretio & ſenſus mei me dirigunt; & ſecundùm fidem prædictam vocemque meam, & vocum electionem præfatam, dabo abſque omni pacto, ſtipendio, pretio vel promiſſo, ſeu quocunque modo talia valeant appellari. Sic me Deus adiuuet, & ſanctum eius Euangelium.

His peractis Moguntinus illud ipſum iuramentum præſentibus ſuis Coëlectoribus ſeparatim prælegit; Nec ſolum illi, ſed etiam Saxonis & Brandenburgici Electorum Legati, parum immutatâ formulâ, nominibúſque ipſorum expreſſis ſinguli ſuo ordine corporaliter præſtiterunt; Eccleſiaſtici quidem Electores manu pectori impoſitâ, Seculares verò duobus digitis ſacro Euangeliorum libro impreſſis: quam etiam iuramenti formulam ante eius præſtationem ſingulis Electoribus & legatis in ſcedula communicatam fuiſſe conſtat.

Poſt reales iuramentorum præſtationes, Sereniſſ. Elector Moguntinus ſuo & aliorum Electorum nomine, duos Secretarios Iohannem Adamum VVerlen & Iacobum Seilerum

lerum aſſumpſit, tùm ad conſignanda acta quæ eo die contigiſſent, tum ad inſtrumenta ſuper ijs conficienda; Qui duo ratione muneris ſui promptos ad hoc & deuotos ſe declarantes, omnes circunſtantes, qui Regiæ electioni in Choro peractæ adfuerunt, pro teſtibus adeſſe iuſſerunt: quorum nomina ſunt, Dominus Ioh. Reinhardus Baro de Metternich. D. Hugo Eberhardus *Kratz de Scharffenſtein. D. Guilhelmus Baro de Metternich. D. Ioh. Philippus Baro de Honeck. D. Gerhardus Baro de VValtenburg. D. Ioh. Fridericus Agricola Vice-Cancellarius. D. Ioh. Schvveickardus Mockius Conſiliarius. D. Nicolaus Georgius Reigerſpergerus Conſiliarius, & Prætor Vrbanus in Aſchaffenburg. D. Berchtoldus Comes de Königſeck. D. Johannes Schvvanius I. V. D. D. Iohannes Adolphus VVolffius dictus Metternich. D. Fridericus de Furſtenberg. D. Rudolphus Sparrius de Greiffenberg. D. Iohannes Copperus. D. Petrus Buſchmannus. D. VVolffgangus Theodericus Comes de Törnig.* D. *Bartholomæus Richelius Licentiatus. D. Iohannes Chriſtophorus Gervvardus de Hohenburg. D. Fridericus Metſchius. D. Iohannes de Pönickau.* D. *Gabriel Tuntzelius, I. V.* D. D. *Conradus Carpzouius I. V.* D. D *Adamus Comes de Schvvartzenberg.* D. *Leuinus de Kneſbeck.* D. *Ioachimus Fridericus de Blumental.* D. *Petrus Fritzius I. V.* D.

D*emum ceremonijs adiurationum ita peractis, Sereniſſimi* Domini Electores *& Legati à ſummo Altari ad ordinarias ſuas ſtationes ſeſe recipientes pſallere, & denuo Antiphonam* Veni ſancte Spiritus, *cum ſequentia ſua & collecta iterare cæperunt.*

Poſt hæc omnes & ſinguli Electores *& Legati ſuo ordine in ſupradictum ſacellum ſeu conclaue, vna cum ſuis infranominatis Cancellarijs, Conſiliarijs & prædictis duobus*

Notarijs ad hoc requiſitis ſeſe contulerunt, ibique occluſo per Imperij Mareſchalcum cum chori tum ſacelli oſtio, clauibuſque portarum vrbis intra ſacellum reconditis, Archiepiſcopus & Elector Moguntinus ſequentem orationem habuit: Recenti adhuc memoriæ inhærere, quâ ratione non ita pridem Capitulationes quædam & pacta in formam redacta, & à ſingulis Electoribus præſentibus & abſentium Legatis vnanimiter approbata fuerint; cùm igitur eadem in conclaui repetita, & ſtipulata inuicem fide confirmata ſint, promittentibus omnibus & ſingulis ſe illa rata, firma & inuiolata ſeruaturos, ita vt ſi quis ex numero Septemuirorum in Regem Romanorum eligeretur, iuramentum ipſum, quo pacta iſta continentur, præſtet, omnibuſque ac ſingulis Capitulationis articulis conformem ſe gerat: Quod ſi diſparia in electione vota exiſterent, plura & maiora præualeant, & ille qui à maiore parte nominatus fuerit, perinde ac ſi æqualibus omnium ſuffragijs deſignatus fuiſſet, Rex Romanorum habeatur & proclametur. Itaque extra omnem dubitationis ſcrupulum confidere ſe, omnia iſta corporalis iuramenti loco ſanctè promiſſum iri.

Sereniſſimis igitur Electoribus & Rege Bohemiæ, vt & Electorum Saxoniæ & Brandenburgenſis Legatis per vnanimem conſenſum ſtipulatâ manu omnia ac ſingula ſpondentibus, Elector Moguntinus iterũ Notarios requiſiuit, vt luculentam totius negotij annotationem conficerent, & ſi neceſſarium videretur, omnia in formulam publicám redigerent: Qui illud mandatum prompto animo ſuſcipientes, omnes adſtantes huius rei teſtes adhibuerunt.

NOMINA

NOMINA TESTIVM QVI IN CONCLAVE ASSVMPTI FVERVNT.

Nomine Electoris Moguntini.

Dominus Metternich Capituli Moguntini Præpoſitus.
D. Kratzius eiuſdem Capituli Cantor.
D. Agricola Doctor Vice-Cancellarius.

Electoris Treuirenſis,

VACAT.

Electoris Colonienſis.

D. *Comes de Königſeck.*
D. *de Metternich de Brucht.*
D. *Petrus Buſchmannus I. D.*

Regis Bohemiæ.

D. *Comes de Meckavv.*
D. *Comes de Trautmanſdorff.*
D. *Comes de Martinütz.*

Electoris Bauariæ.

D. *Comes de Törnig.*
D. *Richelius Licentiatus.*
D. *Iohannes Chriſtophorus Gervvardus.*

Electoris Saxoniæ.

D. *Iohannes de Pönickau.*
D. *Gabriel Tüntzelius Doctor.*
D. *Conradus Carpzouius Doctor.*

Electoris Brandenburgenſis.

D. *Leuinus de Kneſbeck.*
D. *Ioachimus Fridericus de Blumenthal.*
D. *Petrus Fritzius Doctor.*

Factâ igitur requiſitione & declaratione teſtium, ſupradicti omnes Conſiliarij & Notarij iuſſu Electoris Moguntini ex conclaui receſſerunt; atque ita Electores & Legati ſtatim ipſam electionem perfecerunt. Quâ peractâ Electores certas perſonas deſignarunt ad Cæſaream Majeſtatem adducendam, eique totum electionis negotium ante omnes inſinuandum; mox præfati Conſiliarij & teſtes cum duobus Notarijs reuocati fuerunt, ijſque per Electorem Moguntinum ſuo & Collegarum nomine intimatum fuit, nimirum Salutem ſacri Rom. Imperij ante omnia ſibi curæ fuiſſe; inprimis verò omnes ſe curas & ſolicitudines hactenus in hoc impendiſſe, vt idoneum caput Imperio interueniente ordinariâ electione conſtitueretur. Iccircò ſeſe fœlicibus auſpicijs, & æqualibus votis in Romanorum Regem elegiſſe Illuſtriſſimum Principem Ferdinandum III. Hungariæ & Bohemiæ Regem, quem vt in præſentia Romanorum Regem, ita in caſum mortis Cæſareæ Majeſtatis (quam Deus diu præcauere velit) in futurum Imperatorem euehendum, habilem & ad hoc quaſi natum cognouiſſent. Ideoque ſuffragijs ſuis in vnum collatis, ſicut nunc ita in futurum, & ſicut in futurum ita nunc Ferdinando III. vnanimiter vota ſua dare, & dari velle. *Ad quod etiam confirmandum idem Elector ſuos Coëlectores & Legatos ordine interrogauit, ſitne hæc illorum mens & voluntas? qui ſinguli in eundem concordi voce conſenſerunt. Quâ de cauſa Elector Moguntinus poteſtate ſibi à ſuis Coëlectoribus conceſſâ rurſus Notarios poſtulauit, eóſque totam rei ſeriem in Protocollum referre, & ſi neceſſarium foret vnum pluráue inſtrumenta conficere iuſſit, hique mandati ſui teſtes præſentes in conclaui conſiliarios adhibuerunt.*

Hiſce omnibus ita confectis electus Rex cæterique Electores & Legati Majeſtatem Cæſaream præſtolantes, ei appropinquanti

appropinquanti omnes ex ſacello chori ad limen templi obuiàm proceſſerunt, eámque maximâ cum deuotione exceperunt; vbi mox Legatus Saxonicus tanquam Imperij Mareſcalcus hæreditarius ſolenni more enſem Imperatori prætulit, eúmq; ad Secretariũ (in quo Imperij inſignia & pretioſiſſima quæque ornamenta aſſeruantur) deduxit. Ibi cum Imperator ornatum Cæſareum aſſumſiſſet, Electoris Brandenburgici Legatus officio ſuo Archicamerarij functus eſt. Deinde Imperator in habitu ſolenni & corona ſua (prælato etiam enſe & pomo Imperiali) vnà cum Electoribus ſacellum Chori ingreſſus eſt; vbi in præſentia omnium Archiepiſcopus & Elector Moguntinus de toto negotio verba fecit, ad quæ Cæſarea Majeſtas *ipſa reſpondit; móxque ad Regiam* Majeſtatem *conuerſa adhortationem ſolennem coram ea inſtituit; cui electus Rex annuens electioni conſenſit, eámque publicè acceptauit. Ad hæc Cæſarea Majeſtas poſt declarationem reuerentiæ & obſequij ſibi factam, ſermonem gratulatorium ad electum Regem inſtituit. Elector verò* Moguntinus *ſuo & Collegarum nomine poſt ſimilem congratulationem ſeſe electo ad omnia auxilia & officia prolixè obligauit.*

His ita præmiſſis à Moguntino *prima proclamatio & homagium ex ſcripto publicata; & requiſitis Notarijs totius rei conſignatio ſequuta eſt.* Móxque Moguntinus *Regiæ* Majeſtati *in memoriam reuocauit,* quandoquidem iuramentum ſub certis pactis ante electionem compoſitum fuiſſet eo fine, vt ab electo ſolemniter præſtaretur, non dubitare ſe Majeſtatem ſuam illud ſine omni difficultate amplexuram: *Quapropter Regia Majeſtas illud iuramentum ſibi per Archiepiſcopum* Moguntinum *delatum, tactis ſacroſanctis Euangelijs in conclaui ſuper Altare poſitis, corporaliter præſtitit: cuius forma in ſcripturam redacta prioribus ferè Capitulationibus conſonans fuit.*

Exinde omnes ſuo ordine ex ſacello chori egreſſi ſunt, &

Majeſtas Cæſarea ad dextram manum in certâ ſede ad hoc poſita ſe collocauit, coram qua ſecularium Electorum Vicarij & ſubſtituti Imperij inſignia ſtantes geſtarunt: & Miſſâ Spiritus ſancti finitâ Electores & Legati nouiter electum Regem ad Altare deduxerunt, vbi Epiſco*pus Ratisbonenſis certas ſuper eo preces recitauit, incipiendo* Adiutorium noſtrum in nomine Domini &c. *Poſtmodum Regia* Majeſtas *ab Electoribus & Legatis in Altari collocata, eique à Legato Brandenburgenſi corona impoſita eſt; ac eodem momento à Symphoniacis Hymnus* Te Deum laudamus *decantari cœptus eſt, aliáque luculentiſſima publicæ lætitiæ ſigna ſono campanarum totius vrbis, & omnium tormentorum bellicorum exploſione edita fuêre.*

Denique Regia & Cæſarea Majeſtas *vna cum Electoribus ab Altari per chorum tranſeuntes, ad theatrum ante chorum exſtructum (in quo ſedes vtrique* Majeſtati*, necnon Electoribus recepto more præparatæ fuerant) ſe contulerunt. Ex quo ſedentibus iam ſingulis, & Electoribus ſecularibus Imperij inſignia manu tenentibus, iuſſu Electoris* Moguntini *proclamatio electi Regis Romanorum per* Canonicum *Archiepiſcopatus* Moguntini *de ſcripto ad totum populum, ſurgente ipſo Rege & adſtantibus Electoribus & Legatis facta & recitata fuit.*

Tandem omnibus peractis Cæſarea *& Regia* Majeſtates *vna cum Electoribus & Legatis ad Palatium ſuum ſequenti ordine ſe contulerũt; Primò à templo vſque ad Palatium* Cæſareæ Majeſtatis *platea pauimento ligneo pontis inſtar Senatus Ratisbonenſis curâ ſtrata fuit; ante oſtium templi Senatores vrbis ſplendidiſſimam quandam tenſam geſtantes conſtiterunt: ita omni Aulicorum* Cæſareorum, *Regiorum, Electoralium, Principalium cateruâ præcedente,* Comitum, *Baronum & Nobilium multitudo ingens ſecuta eſt; quos Regij &* Cæſarei *tubicines ac æneatores*

exceperunt;

exceperunt; quibus ſeculares Principes quicunque aderant ſucceſſerunt: hóſque Cæſareæ Majeſtatis Feciales cum ſuis inſignibus, amiculis & caduceis albis, apertis capitibus ſubſecuti ſunt. Poſt hos Elector Bauariæ, & Saxonis ac Brandenburgici Electorum Legati ſuo ordine inceſſerunt, Imperiale pomum, enſem, ſceptrúmque præferentes; Tandem Cæſarea & Regia Majeſtas ſub præfata tenſa vſque ad palatium deducta fuerunt, ita vt Regia quidem Majeſtas ad ſiniſtram vnius & dimidij paſſus interuallo Cæſaream Majeſtatem ſequeretur: Elector verò Moguntinus & Colonienſis Regiæ Majeſtatis vtrumque latus clauderent, non exiguo etiam ſpatio poſt tergum Regiæ Majeſtatis relicto; Hoſce omnes Eccleſiaſtici Principes, qui tunc præſentes aderant vna cum aulicis & ſatellitibus ſuis comitabantur: poſt omnes denique tota populi multitudo proceſſionem finiebat. Cæſarea porrò Majeſtas diademate & vniuerſo ſuo ornatu amicta, Regia verò Majeſtas *in regio & ſolemni inaugurationis habitu inceſſit, ſingulíque* Electores *amictu ſuo* Electorali *induti & equis inſidentes gladios ſuos pendulos præferri ſibi curauerunt.*

Hic actus ab hora matutina octaua ad ſecundam pomeridianam durauit, & in primis Electori Moguntino *magnus honoris cumulus inde acceſſit, quod tam dextrè, tam eleganter omnia peracta fuerint.*

VIII.

RESPONSVM ET DECRETVM S. CÆSAREÆ MAIESTATIS AD DECLARATIONEM ET COMMONITIONEM

Electorum ſuper tribus propoſitionis Cæſareæ articulis exhibitam, datum Ratiſbonæ 1. Decembris 1636.

Ex Actis Imperij publicis, Germanicè editis Ratiſbonæ 1636.

Ex quo perſpicuè colligitur, electionem nouiſſimi Regis Romanorum ſaltem reſpectu Electoris Treuirenſis inualidam fuiſſe, ab eoq; reſtituto confirmandam & ratificandam eſſe.

SACRA *Majeſtas Imperialis, vt & Regia Majeſtas Hungariæ & Bohemiæ, Dominus noſter clementiſſimus benignè intellexit & percepit, qua ratione Illuſtriſſimi S. Romani Imperij Electores præſentes, abſentiumque Conſiliarij Nuncij & Legati, ad præfatã Cæſareæ Majeſtatis Imperialem propoſitionem ipſis decimo quinto præteriti menſis Septembris die traditam, in eaque comprehenſos tres articulos principales cum negotijs ad illos ſpectantibus, per bonam eorum ſinceramque commonitionem, & rationabiles ac benè perſpectas conſiderationes & conſilia, fidelémque officiorum denunciationem ſcripto ſeſe declarauerint.*

Sicut igitur in hoc difficili moleſtóque Imperij regimine, iam memoratæ Declarationes S. Cæſareæ Majeſtati ſingulare ſolatium & recreationem adferunt, quatenus

eiuſdem

eiuſdem ſollicitudo, cura ac prouidentia Imperialis ad reſtitutionem & confirmationem pacis ſinceræ & ſecuræ in S. Romano Imperio, dilecta noſtra patria, rectè intellecta fuit; cuius etiam aſſecuratione Cæſarea Majeſtas Illuſtrißimis Electoribus tam fideli conſilio, quàm alijs deuotionis obſequijs ſe pro virili ſubuenturam præſtóque futuram pollicetur: Ita quoque Cæſarea Majeſtas omnia iſta & ſingula in bonam paternamque partem clementiſſime ſuſcipit, cum gratioſa iſta denunciatione, quod ſicut hucuſque vnicus eius ſcopus atque intentio eò directa fuit, vt ſacrum Imperium Romanum omneſque fideles Imperij Electores, Principes & Status, poſt exantlata à tam longo tempore bella, intolerabileſque quas ſecum adducere conſueuerunt anguſtias, refici, & in priſtinam tranquillitatem reſtitui poßint: ſic quoque ipſa deinceps de paterna iſta & pacifica intentione, quoad vſque Altißimus vitæ vſuram ipſi conceſſurus ſit, nunquam recedet, ſed conſtanter in eadem ad finem vſque vitæ perſeuerabit ac perdurabit; certißima hac ſpe & conſolatione freta fore, vt Diuini Numinis clementia amantißima noſtræ patriæ aliquando miſereatur, diuturnas iſtas afflictiones tandem auertat, & ſuæ Cæſareæ Majeſtatis propoſitum, factamque laudabiliter Electorum Declarationem ad deſtinatum conſtantißimæ duraturæque pacis ſcopum promoueat. Quemadmodum etiam Cæſarea Majeſtas ſibi omninò pollicetur, Illuſtrißimos S. Romani Imperij Electores, ſuis conſiliis, auxiliis & pacificationibus, prout hucuſque laudabiliter effectum eſt, & ſine quorum adminiculo onus iſtud Cæſareæ Majeſtati impoßibile foret, ſecundùm prædictam Declarationem ſuam, opportunè ſuppetias laturos.

I. Quantum igitur ad primum Cæſareæ propoſitionis articulum attinet, illa non ſine inſigni lætitia percepit, quod præſentes S. Romani Imperij Electores & abſentium

Conſiliarÿ Nuncÿ ac Legati, liberrimo nec vllatenus impedito conſilio vnanimiter iudicarunt, tum ad S. Imperÿ & bonorum omnium emolumentum, tum ad multarum aliarum calamitatum & periculorum auerſionem, electionem Regis Romanorum in Cæſarem promouendi, durante adhuc Electorum Conuentu, *ſecundùm Auream Bullam & conſuetudinem antiquam in nomine Dei ter-Optimi* Maximi *inſtituendã eſſe; eò quod ipſis cauſa nulla rationabilis videretur, in hac tam inſigni & periculoſa rerum mutatione, qua plures prouinciæ & vrbes eximiæ ab hoſtibus externis occupatæ detinentur, Imperium temerariè & quaſi dedita opera ad vacationem (quod Deus auertat) delabi.*

Sicut igitur Cæſarea Majeſtas hoc ipſum probè perpendendum iudicauit, omnéſque in tradita propoſitione adductæ rationes eò tantùm directæ fuerunt: ita eadem pro hac voluntaria benéque accepta Declaratione magnas paternaſque gratias agit; eamque loco fauoris gratioſiſſimi recipit, & effectum vtiliſſimi huius negotÿ maximo cum deſiderio exſpectat; nullatenus dubitans, illud ad Dei omnipotentis honorem, ad felicem totius Imperÿ Romani ſucceſſum, ad optatam confœderatorum, fideliúmque Electorum ac Statuum proſperitatem, & denique ad omnium exterorum Principum profligationem, & pacis vniuerſalis tamdiu deſideratæ reſtitutionem conducturum.

Illud verò quod ſuper puncto Amniſtiæ allegatum atque propoſitum fuit, Cæſarea Majeſtas Electorum arbitrio permittit, & de eodem eâ ſe intentione declarabit, vt nemo huic contradicendi atque obuerſandi cauſam iuſtam ſit habiturus.

Quod autem Electoris Treuirenſis abſentiam attinet, omnes eius rei cauſa adductæ conſiderationes per rationes in Aurea Bulla, conſuetudine & iure communi fundatas, quas etiam Cæſarea Majeſtas ab ipſius negotÿ principio diligenter

diligenter attendit, ita illuſtratæ & explanatæ fuerunt, vt
nihil de hoc articulo dubij reſtare poßit. Verumtamen Cæ- "
ſarea Majeſtas *hanc ibidem iunctam ſuggeſtionem & pro-* "
poſita media amplectens pollicetur, quod ſi in poſterum "
cum Gallis tractatus pro reſtitutione Electoris Treuiren- "
ſis inſtitueretur, ſe ipſius ratificationem, prout conſultum "
fuit, dubio procul admiſſuram. Si verò ante ipſius Tracta- "
tus finem litiſve deciſionem præfatus Elector fatis conce- "
deret, eo caſu Cæſarea Majeſtas *conſentit & promittit, ſe* "
negotium apud Capitulum Treuirenſe eò deducturam, vt "
non ſolum ante electionem ſucceſſor eligendus, omnia tam "
in futura electione, quàm alibi in Electoris Treuirenſis ab- "
ſentia geſta ratificet, verùm etiam atteſtationem ſeu "
chirographum de hoc ipſo ad Moguntinam Cancellariam "
quam primùm dirigat; ſicut etiam Cæſarea Majeſtas ni- "
hil quod Aureæ Bullæ, praeminentiæ & dignitati Electo- "
rali & conſuetudini antiquæ contrarium ſit, in toto hoc "
electionis negotio præſumit, ſed integram & vnanimem "
ſacroſancti Electoralis Collegij deliberationem approbat "
atque admittit: Et ſi aliquando futuro tempore ſimilis ca- "
ſus fortaßis accideret, Illuſtrißimum Electorum Sena- "
tum, quid ius & æquitatem deceat, omnimodè perpen- "
ſurum eſſe confidit. &c. "

Digitized by Google

Digitized by Google

IX.

PROTESTATIO SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS

CAROLI LVDOVICI COMITIS PALATINI

AD RHENVM, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFERI ET ELECTORIS, DVCIS BAVARIÆ,

CONTRA OMNES ILLEGITIMOS ET INIVSTOS ACTVS ET PROCESSVS IN SVI SVORVMQVE FRATRVM ET AGNATORVM iniuriam & præiudicium inſtitutos:

IN SPECIE CONTRA CLANDESTINAS & nullas diſpoſitiones Cæſareas, de tranſlatione ſui Electoratus & ditionum;

Tum contra anormem Regis Romani electionem, ſe & Electore Treuirenſi excluſis & non vocatis factam;

Denique contra violentam & iniuſtam vſurpationem & ſpoliationem Ducis Bauariæ, Electoralem Archidapiferi titulum, munus, vocem & ſeßionem de facto detinentis.

P*Roteſtatio cum maximè dilucida eſt & expreſſa, ius Poteſtantis ſaluum præſtat; vt neceſſaria eſt, ſic nulli iniuriam facit.* Leg. ſi debitor 4. §. 1. D. quibus modis pignus. & ibi Bartol. & l. ſi quis 14. §. ſed interdum 7. D. de religioſ. ſumptibus.

Simſon cum vxor ipſius à Philiſtæis alij eſſet data proteſtatur, dicens, Iudic. cap. 15. verſ. 3.

Inſons fuero hac vice à Philiſtæis, quum ego affecero eos malo.

Digitized by Google

NOS
CAROLVS LVDOVICVS
DEI GRATIA COMES PALATINVS RHENI, SAC. ROMANI IMPERII Archidapifer & Elector, Dux Bauariæ,

Iuxta exemplar impreſſum Londini ſumptibus Richardi VVittakeri 1637.

Vniuerſis ac ſingulis ſalutem.

VBIQVE *gentium non ſolùm in Imperio Romano, ſed etiam per totam Europam cognitum & compertum eſt, tam experiētia, quam ex actis & publicis ſcriptis, quid per hos diuturnos motus in occupatione, direptione, ſciſſione, ceſſione, venditione & tranſlatione, tum ditionum noſtrarum Palatinicarum, tum connexi his muneris & dignitatis actum & peractum ſit: quod omne meritò ad animum reuocamus, iuſtam cauſam conquerendi, contradicendi & proteſtandi habentes.*

Imprimis verò ſummo nos dolore afficit, & in maximam noſtram, noſtrorumque Fratrum & Agnatorum iniuriam ac præiudicium vergit, Primò, *quod in nuperâ prætensâ Pacificatione Pragenſi, nobis minorennibus, inſcijs, non citatis & indefenſis, inter alia conuentum ſit, diſpoſitiones, quas Cæſarea Majeſtas de tranſlatione noſtri Electoratus & Ditionum in Ducem Bauariæ, & lineam Gulielmianam facta, dicitur condidiſſe, ratas manere debere: quodque illa, de quibus tamen nihil hactenus auditum fuit, neque adhuc in vulgus cognita ſunt, vtpotè clam pacta, contra nos allegentur, prætexto eas* per pacificationem iſtam & conſequenter ab vniuerſis Imperij

Ordinibus comprobatas eſſe, *ſicut ex vltimo Cæſareo reſponſo Oratori Britannico Comiti Arondelio Ratiſbonæ nuperrimè dato apparet: quo facto nobis, noſtriſque Fratribus & Agnatis planè innocentibus ius ex primæuâ & ſimultaneâ inueſtiturâ, ex pacto & prouidentia maiorum quæſitum inaudita causâ aufertur, & ex noſtra ſtirpe in aliam contra iura, leges, ſanctiones pragmaticas & conſuetudines in eiuſmodi feudis vſitatas, contráque pacta familiæ & priuilegia à Cæſaribus confirmata transfertur.* Deinde, *quod ad nouiſſimum Conuentum Electoralem Ratiſbonæ indictum, in quo de electione Regis Romani actum, &* Ferdinandus *Auſtriacus Rex Vngariæ pro tali renunciatus & inauguratus fuit, nos, qui Electoris Palatini ius, vocem & perſonam iure ſuſtinemus, non fuerimus ſecundùm Aureæ Bullæ præſcriptum, ſicut alij Electores vocati: ſed per vim inſtinc excluſi, & iniuſtè præteriti, Duce Bauariæ noſtrum locum, ſeſſionem, officium & ſuffragium de facto & nulliter vſurpante & exercente.*

Cum verò iſta omnia & ſingula per ſe & ipſo iure ſint inualida, nulla & illegitima: memoratæ quidem diſpoſitiones & pacificatio, *vel ex eo fundamento, vt cæteras nullitates ſilentio prætereamus, quod nobis, noſtriſque Fratribus & Agnatis in minorenni & pupillari ætate conſtitutis, inauditis & indefenſis, ſicut diximus, compoſita & clam facta fuerint; adeóque iuri communi, diuino & humano, conſtitutionibúſque Imperij fundamentalibus, legibúſque feudalibus, ipſis etiam Cæſareæ Majeſtatis declarationibus in Conuentu Ratiſbonæ ſolemniter in ſcripto* XXIII. *Februarij* M. DC. XXIII. *Electoribus, & per literas Sereniſſimo Regi* Iacobo *eodem anno die* V. *Martij factis aduerſentur:* Electio *verò ideò quod & nobis, quibus ſolis vox, officium, & functio Archidapiferi & Electoris Palatini in ſolemnibus Imperij actibus competit, & Archiepiſcopo Electore Treuirenſi excluſis & repulſis, facta,*

inſtituta

inſtituta & peracta ſit: iam conſequens omninò & neceſſe eſt, vt pro conſeruatione noſtri Iuris, contra iſta omnia & ſingula, quæ hoc modo in noſtram noſtrorúmque Fratrum, & Agnatorum iniuriam & præiudicium nobis præteritis, excluſis, abſentibus & inauditis qualitercunque geſta, reſcripta, concluſa & acta ſunt, ſolemniter proteſtemur & excipiamus.

Contradicimus itaque & proteſtamur in vigore huius ſcripti, omni meliore modo, ſicuti de iure & conſuetudine fieri poteſt & debet, contra omnia illa & ſingula, quæ prædicto, aut alio quocunque modo, in noſtram, noſtrorumque Fratrum & Agnatorum iniuriam & præiudicium priuatim vel publicè, clam vel palam acta, geſta, ſtatuta, ordinata, promulgata, reſcripta & facta ſunt, aut inpoſterum nobis abſentibus, excluſis, præteritis, inſcijs & non conſentientibus, geri, agi, decerni aut fieri de facto præſumentur: Speciatim *verò* contra *prætenſas iſtas* tum diſpoſitiones & tabulas pacis Pragenſis, tum *præproperam & illegitimam* electionem *Regis Romani:* tum maximè *contra violentam, iniuſtam & nullam Ducis Bauariæ, noſtrum Electoratum & ditiones, titulum, ſeßionem, vocem, et munus de facto occupantis & detinentis,* vſurpationem & deprædationem.

Ac proinde reſeruamus nobis, noſtris Fratribus & Agnatis, omnia iura, actiones, defenſiones, media & remedia, quæ diuinæ & humanæ leges, tali in cauſa & caſu permittunt & praſcribunt, obteſtando & edicendo, nos, qui nihil hactenus omiſimus, quo voti & iuris noſtri ſine armis & per æquas conditiones compotes redderemur, excuſatos fore apud omnes, ſi quæcunque mala & incommoda in proſequendo iure, & procuranda reſtitutione noſtrâ, in qualemcunque peruenerint.

Declaramus præterea & vocato in teſtem Diuino Numine aſſeueramus, Nos hâc noſtrâ Proteſtatione, *nihil*

Cæſareæ Majeſtatis authoritati & Eminentiæ, quæ apud nos ſacroſancta ſemper eſt & erit, nihil alterius cuiuſcunque exiſtimationi detractum velle: ſed id tantum ſpectare, vt noſtra innocentia, jus & fama ſarta & tecta conſeruentur, neve per ſilentium & omiſſionem neceſſariæ Proteſtationis lædantur. Atque hanc noſtram Proteſtationem coràm Notario & teſtibus factam, *vt ad omnium notitiam perueniret, & nemo cuius intereſſet, ignorationem prætendere poſſet, ſcripto comprehendimus, & typis in lucem euulgari fecimus: authentica verò exempla noſtrâ manu ſigillo impreſſo ſubſcripta, tum Cæſareæ Majeſtati, tum Electoribus Imperij inſinuari & tradi curauimus.*

Actum Hamptoncurij in Angliâ XXVII. *Ianuarij, Ann.* CIↃ. IↃC. XXXVII.

FINIS.